

1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE CORNIFICII AUCTORIS AD HERENNIUM QUI VOCATUR RERUM ROMANARUM SCIENTIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS AEMILIUS BOCHMANN
SAXO EX VICO MUELSEN.

ZWICCAVIAE
TYPIS R. ZUECCLERI
1875.

Cornificius, cui Quintiliani auctoritate commotus suo iure Rhetorica ad C. Herennium restituit Kayserus[1]), qua aetate fuerit, cum ab Hieronymo aliisve scriptoribus propter falsam de auctore Rhetoricorum opinionem non sit traditum, ex ipso eius opere necesse est colligatur.

Ac primum quidem non ante annum $\frac{666}{88}$ Rhetorica scripta esse vel inde apparet, quod Sulpicii et lex quaedam aliqua ex parte vituperatur (II, 28, 45) et commemoratur exitus (I, 15, 25; IV, 22, 31). Quartus vero certe liber etiam post initium anni $\frac{668}{86}$ videtur compositus esse hac de causa. Exemplum enim illud, quo brevitatis figura illustratur a scriptore (IV, 54, 68), cum Kayserus opinionem hominum doctorum (velut Mommseni[2]) usque ad nostram aetatem communem secutus ad Sullam victorem referentium duplici medicina, transpositione et singulorum verborum correctione, remanente tamen non exigua difficultate, sanasse se putasset,[3]) sed revera corrupisset, hoc demum tempore homo sagacissimi ingenii Jordanus[4]) e codicum vestigiis ita restituit et exposuit, ut nulla alia

1) Cornifici Rhetoricorum ad C. Herennium libri IV. rec. et interpretatus est C. L. Kayser. Lips. 1854 pag. VI.

2) Römische Gesch. II pag. 343.

3) cf. animadv. l. c. p. 311.

4) Herm. vol. VIII p. 77.

medicina adhibita nisi duobus verbis „*quodam is*“ (sic codex optimus p i. e. Parisinus 7714, „*quondam is*“ aliaque deteriores libri scripta habent) in unum „*quodannis*“ contractis sententiam effecerit et ad rerum gestarum memoriam sanissimam et ad ceterorum exemplorum tempora accommodatissimam. Tradit enim eadem Cornificius, quae e rerum scriptoribus nemo non penitus pernovit, Marium, cum auctoritatem sibi comparasset, primum quotannis, i. e. post consulatum anni $\frac{647}{107}$ inde ab anno $\frac{650}{104}$ usque ad annum $\frac{654}{100}$, consulem factum esse, deinde usque ad annum $\frac{656}{98}$, dum Q. Caecilius Metellus Numidicus in exilio esset, primum habitum civitatis, tum, ne redeuntem videret inimicum, in Asiam, i. e. Cappadociam Ciliciamque, belli Mithridatici movendi causa profectum,[1]) post L. Cornelio Sulla Q. Pompeio Rufo consulibus simul cum sociis hostem patriae iudicatum, denique Cinna consule revocatum „*exercitum invenisse imperatorem*“[2]) septimumque adeptum esse consulatum.[3]) Quod si huc accedit, ut similes fortunae Marianae vicissitudinum apud plurimos scriptores inveniantur enumerationes:[4]) quis est qui dubitet, quin rectissime hunc locum Iordanus et sanaverit et interpretatus sit? Quae cum ita sint cumque Marius mortuus dici videatur, constat quartum librum post Idus Ianuarias anni $\frac{668}{86}$, quo die vita decessit Marius, ad umbilicum esse perductum.

Quoniam igitur post Marii mortem composita esse Rhetorica ostendimus, iam ante quod tempus confecta sint, videamus. Apparet enim legem Domitiam de sacerdotiis anno $\frac{650}{104}$ a Cn. Domitio Ahenobarbo tribuno plebis

---

[1]) Plut. Mar. 31; Cic. ap. ad Brut. I, 5, 3.

[2]) Flor. III, 21, 11.

[3]) Claud. Quadrig. ap. Gellium X, 1, 3 alii.

[4]) Diod. XXXVII, 40 (V. pag. 402); Plut. Flam. 21; Val. Max VI, 9, 14; Aurel. Vict. 66.

latam valuisse eo tempore, quo librum primum Cornificius conscripsit. Ubi hoc exemplum allatum est (I, 11, 20):

> „*Ex contrariis legibus controvorsia constat, quom alia lex iubet aut permittit, alia vetat quippiam fieri hoc modo: lex vetat eum, qui de pecuniis repetundis damnatus sit, in contione orationem habere; altera lex iubet augurem, in demortui locum qui petat, in contione nominare. augur quidam damnatus de pecuniis in demortui locum nominavit: petitur ab eo multa*".

Quam legem cum anno $\frac{673}{81}$ sua lege L. Cornelius Sulla dictator aboleverit, hic certe liber ante id tempus est compositus. Neque vero ratio habenda est aut Rubinonis qui contionem dici conventionem sive collegium augurum existimat [1]) aut Reinii, qui alteram legem repetundarum Corneliam sine ulla causa arbitratur. [2])

Praeterea cum haud quaquam inter homines doctos ambigatur Ciceronem in Rhetoricis plurima e primis libris transscripsisse, hi certe etiam ante annum fere $\frac{671}{83}$ — nam aliquot annis ante orationem pro Quinctio habitam ea composita esse censendum est — ad Herennium missi sunt. [3])

Itaque cum pro certo habeamus etiam quartum librum iam anno $\frac{670}{84}$ vel paullo ante editum esse, non est, cur Kaysero astipulemur, qui cum exemplum illud brevitatis (IV, 54, 68), de quo supra disputavimus (p. 2), falso interpretatus Sullam victorem descriptum esse opinetur, suspicari cogitur, Ciceronis Rhetorica iam evolgata fuisse quarto Cornificii libro nondum edito. [4]) Ut enim et maiore materiae difficultate scriptor, quippe qui de pronuntiatione primus dilucide praecipere ausus sit (III, 11, 19), et dili-

---

[1]) Rubino, *Untersuchungen über röm. Verfassung u. Geschichte* I pag. 243.

[2]) *Criminalrecht etc.* p. 623.

[3]) cf. Cic. de or. I, 2, 5.

[4]) cf. praef. Kayseri l. c. p. XI.

genti exemplorum elaboratione, quippe quae ipse invenerit finxeritque,[1]) retardatus sit, quominus aeque mature quartum atque relicuos libros conficeret: tamen haec non ea erant, quae aliquot annorum moram conficiendo operi afferrent; si quidem ipse scriptor cum semper festinet maturetque, *„ut artis praeceptio quam primum Herennio persolvatur“*, tum initio tertii libri quartum sese librum celeriter absolutum missurum ultro promittit ac pollicetur (III, 1, 1; I, 1, 1; 17, 27; II, 1, 1).

Antestant autem mirum quantum Rhetorica Cornificiana Ciceronianis, id quod primus Puchta intellexit, iudicii perspicuitate sinceritate, subtilitate acumine, ut scriptorem Cicerone multo ut iudicio ita aetate fuisse maturiorem consentaneum sit. Cui rei convenienter ipse dicit *„negotiis familiaribus impeditum vix satis se otium studio suppeditarc posse et quod detur otii, libentius in philosophia consuesse consumere“*, quam in arte rhetorica exponenda (I, 1, 1). Accedit eodem, quod ea inter Cornificium Herenniumque intercedit necessitudo, ut hic cognato (IV. 56, 69) eadem ratione, qua Cicero Scaevolis[2]) aliisque sese applicasse, ille adulescentulo ad docendum exercendumque sese dedisse videatur (I, 1, 1; 17, 27; II, 31, 50; III, 1, 1: nunc tu fac attentum te praebeas, 24, 40; IV, 56, 69).

Accuratius vero qua aetate vitam egerit Cornificius viderimus, si unde potissimum exempla sua sumserit, consideraverimus. Etenim quamquam eorum non pauca e maiorum memoria delibat, tamen ea rara sunt atque dispersa neque una rerum serie et continuatione continentur: contra in quibus res inde ab anno $\frac{647}{107}$ gestae commemorantur, ea et cum relicuis comparata longe plurima sunt et facta comprehendunt ratione quadam certoque temporum ordine inter se cohaerentia. Quo fit, ut ipsum ea vidisse eorumque memoriam repetiisse sit veri simillimum.

---

[1]) cf. praef. libri IV. [2]) Cic. Lael. 1, 1.

His igitur causis ad eam perducor sententiam, ut Cornificium arbitrer natum esse anno fere $\frac{631}{123}$, togam virilem sumsisse anno fere $\frac{647}{107}$, Rhetorica denique composuisse duodequadraginta fere annos natum.

Quodsi, num unus eorum Cornificiorum, qui Ciceronis aequales aliunde noti sunt, aureum hunc libellum composuerit, inquirimus, nemini non est perspicuum, non posse cogitari neque de scriba praetoris urbani C. Verris[1]) neque de P. Cornificio, eo qui anno $\frac{702}{52}$ in senatu erat,[2]) neque de Q. Cornificio, eo qui gesto anno $\frac{685}{69}$ tribunatu plebis[3]) anno $\frac{690}{94}$ una cum Cicerone cum omnium partim risu partim misericordia consulatum petiit[4]) — is enim multo aetate erat minor —, neque vero denique de legato Caesaris Q. Cornificio.[5]) Quare equidem putaverim auctorem Rhetoricorum causae populari Mariique addictum, ut qui maxime, temporibus interiisse proscriptionum Sullanarum, competitorem autem Ciceronis, qui et tribunatum gessit et propter vitae sanctitatem iudiciique severitatem laudatur, cognatum huius fuisse annis minorem, moribus haud dissimilem.

Doctrina autem excultus erat multiplici, qui quidem litteras Latinas Graecasque novit, de philosophia, de re militari, de administratione rei publicae, de arte grammatica se scripturum pollicetur, in philosophia vero dicit etiam libentius se quam in arte rhetorica otium consumere. Atque e Romanis quidem litteris laudat Ennii et annales (IV, 12, 18) et tragoedias, ut Medeam exulem (II, 22, 34; 27, 42), Cresphontem (II, 24, 38; 25, 39); Eumenidum autem argumenti certe partem videtur proferre (I, 10, 17; 15, 25; 16, 26). Deinde Pacuvianas fabulas non modo posse se laudare contendit (IV, 4, 7), sed etiam citat,

[1]) Cic. Verr. accus I, 57, 150.

[2]) Ascon. in Mil. p. 37.

[3]) Verr. act. I, 10, 30.

[4]) Cic. ep. ad Att. I, 1, 1.

[5]) cf. Mommsenum l. c. III, 430.

veluti Armorum iudicium (II, 26, 42), Antiopam (II, 27, 43), Dulorestem (II, 23, 36), et Teucri me quidem iudice argumentum in medio collocat (I, 11, 18; 17, 27; II, 19, 28; 30). E numero autem comicorum nominatim nisi eum, qui illa aetate quasi revixit, Plautum neminem citat (II, 23, 35),[1] cui nescio an versus quoque trochaicus IV, 25, 39 et versus iambici IV, 9, 14 assignandi sint. Lucilium, satirarum poetam, cuius etiam de vita quaedam accepit (II, 13, 19), propter inconcinnam verborum transiectionem vituperat (IV, 12, 18) loco propterea quoque notando quod inde in editione principe satiras in duos libros divisas fuisse apparet. Denique non mirum est scire scriptorem L. Accium, aetati eius supparem, si quidem post annum $\frac{664}{90}$ constat eum in vita fuisse,[2] cum mimo quodam de iniuria litigasse; mirum est, non fabulas eiusdem citasse. Cuius rei, cum non putem nondum evolgatas fuisse Accii fabulas anno $\frac{669}{85}$, id in causa fuisse potius crediderim, quod scriptor, cum ceteros poetas tantum vituperandi causa citaverit, hunc ita illis praeposuit, ut ea ipsa de causa citandi locum non inveniret et satis haberet fabularum argumenta passim protulisse. An cum Cornificius Atreum crudelitate insignem (IV, 34, 46), cum Triptolemum hominibus semen largientem (IV, 6, 9), Prometheum mortalibus ignem dividentem, Philoctetam sagittis suis Troiam expugnantem (IV, 30, 41), cum Aeneam pium (IV, 34, 46), Brutum patriam liberantem (IV, 53, 66), Decium mortem pro patria oppetentem (IV, 44, 57), cum has omnes fabularum Accianarum personas enumerat, forte fortuna hoc usu venisse putamus ac non potius in mentem venisse scriptori fabularum crepidatarum Atrei, Triptolemi, Promethei, Philoctetae, praetextarum Bruti et Decii sive Aeneadum? praesertim cum histriones aetatis illius longe praestantissimos no-

[1]) cf. Ritschelii animadv. in vv. Trinummi 23—26.

[2]) Val. Max. III, 7, 11.

minet, Aesopum et Cimbrum (III, 21, 34). Quid vero loquar de eius oratorum Latinorum notitia? qui ab omnibus illis eloquentiae antececeronianae auctoribus et luminibus, a Catone a Gracchis a Laelio a Scipione Galba Porcina Crasso Antonio ceteris exempla posse se afferre contendit (IV, 5, 7), attulit sane bis certe (IV, 3, 5; II, 20, 33).[1] Ceterum huius ordinis elucet certa quaedam ratio, nempe ea ut Catonem Gracchosque eorumque imprimis C. Gracchum (cf. IV, 1, 2) veteriorum temporum, Crassum Antoniumque, in his autem praecipue Crassum (cf. IV, 3, 5), recentiorum oratores excellentissimos iudicasse, Laelium Scipionem Galbam Porcinam ante Crassum Antoniumque propter aetatem, post Gracchum propter viliorem dicendi artem posuisse, ipsos autem pro cuiusque virtute et praestantia oratoria ordinasse[2]) scriptor videatur. Neque minus probe quam poetas oratoresque rerum cognoverat scriptores: qua de re infra accuratius videbimus. Iam quanta artis rhetoricae eiusque fontium scientia fuerit, cum Kayserus in annotationibus diligentissime docuerit, mitto disserere; artis grammaticae studio imprimis se eum dedisse vel inde apparet, quod notiones Latinitatis, soloecismi, barbarismi explicare conatur (IV, 12, 17).

Atque etiam Graecos scriptor nocturna diurnaque manu versabat, quorum rationem etiam iudiciorum didicit (I, 12, 22). Et quamvis, qua est Romana simplicitate, doctrinae iactationem et pusillarum rerum studium (II, 11, 16; I, 1, 1) acerbe reprehendat, disciplinas tamen eorum eruditionemque agnoscit et praedicat (IV, 32, 43). Quo fit, ut et Homerum (IV, 33, 44) et Demosthenis Aeschinisque praeclarissimas de corona orationes[3]) saepius idque ita ut ipse nesciret, opinor, imitatus sit.

---

[1]) cf. Cic. Rhet. I, 79.

[2]) cf. Cic. Brut. 21, 83; 24, 94; de or I, 10, 40.

[3]) IV, 30, 41 cf. cum Dem. XVIII, 129; IV, 15, 22 cf. cum Dem. XVIII, 71; IV, 25, 34 cf. c. Dem. XVIII, 179; IV, 29, 40 cf. c. Dem. XVIII, 20 et 22; IV, 13, 19 cf. c. Aesch. III, 198 etc. etc.

Ipse, quantum ex toto libri habitu existimare licet, prorsus dissimilis erat Ciceronis, hominis molli ingenio et qui alienarum opum impulsionumque indigeret; sed vegetum ingenium in vivido pectore vigebat, virebatque integris sanisque sensibus. Quo factum est, ut non semel contra Graeculos disputaret atque adeo nimia fortasse sui fiducia aliorumque contemptione sua ipse exempla excogitare sibi proponeret. Tanto autem est iudicii acumine, ut, quoties Cicero sententiam eius emendare conatus est, vix utri assentiamur, dubitemus. Nam hoc quidem, quod omnia praecepta sua ad vitae forique utilitatem dirigit, magis omnino Romanorum morum, quam scriptoris laudi verterim peculiari. Illud magis ingenii eius acumine factum esse arbitror, quod, quid Gracchi, quid ceteri tribuni, qui pro salute civium mortem oppetierant, voluissent, probe videtur intellexisse. Atque ita causae popularis studio abstractus est, ut ne Saturnini quidem, hominis omnium horum facile impurissimi, necem dubitaverit deplorare (IV, 22, 31). Quamquam huius quidem partium studii aliqua ex parte causam fontemque fuisse opinor cognationem Herenniorum. Scimus enim C. quendam Herennium, cum Marius praetor designatus de ambitu postulatus esset, testimonium inicum recusasse causa interposita Marii familiam in Herenniorum clientela esse.[1]) Neque minus constat, Herennium quendam inter Sertorii Mariani legatos fuisse in Hispania.[2]) Veri simile est igitur, cum Herennii tunc temporis a causa populari starent, Cornificium cognatione cum iis coniunctum studio factionis popularis flagrasse quasi vernaculo et hereditario: praesertim cum rationis reipublicae capessendae in singulis gentibus familiisque quasi per successionem quandam traditae multa proferri possint exempla.

Sed qua fuerit in popularem factionem animi inclinatione cum ex omnibus fere exemplis tum ex iis maxime

[1]) Plut. Mar. 5, 4. [2]) Plut. Pomp. 18, 3.

discitur, quae ex sua memoria scriptor videtur repetiisse, de quibus accuratius disputetur, et hac ipsa de causa et propter egregiam rerum scientiam dignissimis.

Commemorationes rerum perpetuae et inter sese continentes incipiunt a C. Popillii Laenatis causa, quam scriptor duobus locis significat his verbis:

> I, 15, 25: „*C. Popillius, quom a Gallis obsideretur, neque ecfugere ullo modo posset, venit cum hostium ducibus in conlocutionem; ita discessit, ut, si inpedimenta relinqueret, exercitum educeret: satius esse duxit, amittere inpedimenta, quam exercitum; eduxit, inpedimenta reliquit: arcessitur maiestatis*".[1]) IV, 24, 34: *Nam quid me facere convenit, quom a tanta Gallorum multitudine circumsederer? an dimicarem? at ut cum parva manu tamen prodirem, locum quoque inimicissimum habebamus. sederem in castris? e. q. s.*

Dicit Cornificius de re anno $\frac{647}{107}$ gesta: quo anno postquam L. Cassius Longinus consul in Nitiobrogibus a Tigurinis, pago Helvetiorum, insidiis circumventus cum maiore exercitus parte Lucioque Pisone, viro consulari, occidit, milites, qui ex ea clade superaverant, duce C. Popillio Laenate cum hostibus pacti sunt, ut obsidibus datis et dimidia rerum omnium parte relicta incolumes dimitterentur.[2]) Adicit Appianus,[3]) cum Paulli cuiusdam Claudii annales citet, etiam sub iugum missam esse a Tigurinis manum Popillianam. Cuius ignominiae a Tigurinis L annis post ad Ararim fluvium C. Julius Caesar, a Popillio tunc ipsum privato magis odio ductus quam ipsius rei turpitudine tribunus pl. C. Caelius Caldus poenas repetierunt.[4]) Qui ut opprimeret C. Popillium, cum lege Cassia uno in genere relictum esset vocis suffra-

---

[1]) cf. Cic. Rhet. II, 24, 72.

[2]) Liv. ep. 65; Oros. V, 15; Caes. b. g. I, 7; Tac. Germ. 37.

[3]) Celt. fragm. I, c. 3 ed. Paris.

[4]) Cic. de leg. III, 16, 36.

gium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis, lege Caelia tabellaria huic quoque iudicio tabellam dedit, deinde inimicum *„eo, quod Tigurinis obsides dedisset"* [1]) perduellionis reum fecit. Die dicta Popillius in exilium profugit[2]) Nuceriam eiusque urbis civitatem adeptus est.[3])

Liquet hanc ipsam rem, non aliam, significari a scriptore; sed non minus liquet eum neque probe meminisse rerum prima adulescentia actarum et, quoniam rhetoricae artis, non historiae scriptor erat, res minores partim neglexisse partim ad exempli finem rationemque accommodasse. Huc illa referenda sunt, quod neque de obsidum neque de iugi infamia verbum fecit, sed tantum de impedimentis locutus est, neque vero accurate dimidiam eorum partem, sed omnino impedimenta hostibus tradita commemoravit. Itaque cum Cornificius defendentem se oratione Popillium non modo IV, 24, 34, verum etiam I, 15, 25 (*„ex conparatione causa constat, quom dicimus necesse fuisse alterutrum facere, et id, quod fecerimus, satius fuisse facere. ea causa huiusmodi est e. q. s."*) facit, Orosius die dicta in exilium profugisse tradit, quamquam ille temporibus fuit his rebus multo propioribus, tamen, cum hic locupletissimis auctoribus fere utatur, hoc loco Livio, magis credendum est rerum scriptori, quam praeceptorum rhetoricorum artifici materiam exempli a primis aetatis temporibus petenti. Immo vero finxit scriptor excogitavitque suopte arbitrio utrobique Popillii defensionem.

Similis huic homini nobili ignominiosi facinoris omnes excusationis causas nisi ignaviam afferenti, fuit paullo post Q. Servilius Caepio. De quo Cornificius I, 14, 24 haec:

> *„Purgatio est, quom consulto negat se reus fecisse; ea dividitur in fortunam inprudentiam necessitatem: fortunam, ut Caepio ad tribunos plebis de exercitus amissione e. q. s."*

---

[1]) Oros. V, 15. [2]) Oros. l. c. [3]) Cic. pro Balbo 11, 28.

Notissima est clades illa pridie Nonas Octobres[1]) anni $\frac{649}{105}$ ad Arausionem cum ingenti nominis Romani periculo Caepionis temeritate accepta, quippe qua Valerius Antias[2]) possit scribere militum millia LXXX, calonum lixarumque XL occisa esse, paucissimos — in his erat Sertorius[3]) — hostium manus effugisse. Cuius calamitatis rerum scriptoribus haud dubius auctor fuit, ut supra dictum est, Q. Servilius Caepio. Qui cum anno ante consulatum gessisset, imperio prorogato una cum consule Cn. Mallio Maximo cum magnis copiis adversus Cimbros Ambronesque instructus ita neque senatus neque consulis auctoritate arceri potuit, quin, dum in visu esset innumerabilium fortissimorumque hostium, sua consilia a consule separaret, ut, cum primo propior fuisset ab hostibus exercitus Mallianus, veritus, ne ab illo gloria victoriae praeciperetur, suos medios inter Mallium hostemque duceret datoque signo pugnam iniret.

Neque, cum ex caede effugisset, item contigit Caepioni, ut poena liberaretur, id quod Cicero, quae eius erat in aestimandis ponderandisque et rebus et hominibus iniquitas, aegerrime tulit.[4])

Difficile est, de poenis, quibus Caepio affectus est, anquisitu, quia et plures et variis temporibus in eum constitutae sunt, ut qua in causa quosve apud tribunos de amissione exercitus fortunam excusaverit, possit in dubium vocari.

Est veri simillimum neque obstat quisquam rerum scriptor, confestim e clade sine ullo optimatium adversantium tumultu Caepioni imperium esse abrogatum. Ne Orosius quidem qui de his temporibus satis diligenter scripsit, de intestinis huius anni certaminibus quicquam protulit. Neque quae nomina fuerint tribunorum eorum, qui rogationem tulerunt, liquet; ut dubitem an totum

---

[1]) Plut. Luc. 27. [2]) Oros. V, 16. [3]) Plut. Sert. 3.
[4]) cf. Brut. 135.

collegium consilia inter se consociaverit, ut Caepionem populo invisum, bonis civibus tunc vix defensum, quominus plus noceret patriae, impediret. Nam Langius quoque cum secundo antiquitatum Romanarum volumine Ciceronianos de C. Norbano Bulbo locos[1]) huc rettulisset,[2]) tertio volumine[3]) re a Mommseno dilucide exposita rectissime de sententia sua destitit. Verum dubito vehementer, num iure Mommsenus Livium[4]) secutus iam tunc bona Caepionis publicata opinetur. Neque enim unquam, quod sciam, in republica Romana factum est, ut bona eius, cui in civitate esse licebat, publicarentur; sed id solis aut mortuis, velut C. Graccho, aut iis accidit, qui vel damnati vel ne damnarentur veriti ex urbe in exilium commigraverant, ut Ciceroni aliis, minime iis, quibus etiam in senatu esse licuit. Quare equidem Langium[5]) secutus putaverim tum demum, cum in quaestione extraordinaria capitis damnatus in exilium migrasset, vel etiam simul cum damnatione, ut auri Tolosani damnum compensaretur, bona Caepionis esse publicata. Facile autem fieri potuit, ut in Livii periocha causis diversis in unam contractis tota res non satis definite exponeretur.

Fuisse autem abrogato iam imperio in senatu Caepionem testis est Asconius Pedianus. Qui animadvertit[6]) L. Cassium Longinum, anno $\frac{650}{104}$ tribunum plebis, legem adversus Caepionem tulisse, ut quem populus damnasset cuive imperium abrogasset, in senatu non esset. Videbatur enim consentaneum, quem suffragiis populus honoribus largiendis ordine senatorio dignatus esset, eundem honoribus indignum iudicatum ne in senatu quidem iam esse posse.

Neque vero satis habebant tribuni hominem populo propter cladis ignominiam invisum, ordini vero equestri

---

[1]) Cic. de or. II, 21, 89, 39, 164, 40, 167; 47, 197; part. or. 30, 104. [2]) p. 660. [3]) p. 68. [4]) per. LXVII.
[5]) Röm. Alterthümer III p. 69. [6]) in Cornel. 78.

ob legem iudiciariam, quam consul anno $\frac{648}{106}$ promulgaverat, quasi pestem habitum non modo honore sed etiam dignitate exuisse, sed iam caput eius temptavere.

C. enim Norbanus Bulbus, eiusdem anni tribunus plebis, famosam illam de auro Tolosano quaestionem extraordinariam rogavit.[1]) Tum vero nobilitas, cum in semet ipsam haec omnia subornari videret, acerrime resistere rogationi conata est. L. Aurelius Cotta, T. Didius, collegae Norbani, intercedebant; ipse princeps senatus M. Aemilius Scaurus vehementissime rogationem impugnabat: tribuni ex templo vi pulsi, lapide percussus princeps senatus, rogatio perlata.[2]) Ipse Q. Caepio ab equitibus condemnatus cum ad supplicium in carcerem ductus esset, a L. Rhegino tribuno liberatus[3]) Smyrnam in exilium transmigravit ibique civis factus est.[4]) Ceterum defensorem huius in hac causa Q. Caepionis fuisse L. Licinium Crassum Langius[5]) suspicatur ex uno loco Ciceroniano ab ipso ad sententiam suam accommodato.[6]) Ego quamquam non nego veri simile esse eum, qui paullo ante legem Caepionis suasisset, eidem periclitanti adfuisse, tamen et huius sententiae vereor astipulari et Mommseni, non defendisse illum quidem in consulatu Caepionem (quamquam id ipsum aperte dicit Cicero) sed in causa Norbani, cum Sulpicio adesset, laudandi Caepionis partes suscepisse iudicantis.[7]) Verum cum verba Ciceroniana neque immutare neque artificiose interpretari audeam, hoc malim putare, Crassum pro Q. Caepione causam dixisse eo, quem Langius et Mommsenus non iniuria filium fuisse huius Caepionis, Cornificius quaestorem anno $\frac{654}{100}$ (I, 12, 21) dicunt. Qui ita quaestor sese praestiterat senatus patronum et nobilitatis amicum, ut crimine nescio

[1]) Oros. V, 15; Cic. de nat. de or. III, 30, 74.
[2]) Cic. de or. II, 47, 197. [3]) Val. Max. IV, 7, 3.
[4]) Cic. pro Balb, 11, 28. [5]) III, 69. [6]) Brut. 44, 162.
[7]) Röm. Gesch. II p. 182; cf. O. Jahnii animadv. in Brut. 44, 162.

quo accusatus facile etiam a consule Crasso posset defendi. Etenim si Crassus illum, de quo agitur, non hunc anni $\frac{654}{100}$ quaestorem, consul in Norbani causa laudasset, nostro iure miraremur, quare Cicero cum Antonii Sulpiciique orationes ipsos Crassum Antoniumque commemorantes praedicantesque induxisset, ipsius Crassi orationis in eadem causa habitae ne verbo quidem mentionem faceret.[1]) Omnino autem Mommsenus de quaestione illa extraordinaria subtilius mihi videtur quam verius disputasse, qui quidem omnes illius temporis causas, quae de cladibus Cimbricis in Q. Caepionem Cn. Mallium M. Iunium Silanum actae sunt, actas contendit ex una lege Appuleia maiestatis anno $\frac{651}{103}$, quo anno L. Saturninus priorem gessit tribunatum. Sed quamquam certum non exstat testimonium, altero tamen Saturninum tribunatu legem illam tulisse inde collegeris, quod, quoties de ea vel apud Ciceronem[2]) vel apud Cornificium (I, 12, 21; II, 12, 17) quaeritur, de turbatis contionibus tribuniciis agitur. Itaque primum omnium hoc ut impediret lata esse lex videtur, non in eos qui bello Cimbrico cladibus acceptis maiestatem populi Romani minuissent. Atqui in posteriore Saturnini tribunatu saepenumero a Caepionibus aliisque minutam tribuniciae potestatis maiestatem rerum scriptores uno ore consentiunt, cum in priore tale quid accidisse omnino ignoremus. Accedit, quod et causa Caepionis, non Cn. Mallii Maximi, qui L. Saturnini rogatione anno $\frac{651}{103}$ e civitate eiectus est[3]), priore semper loco commemoratur[4]) et similis causa Silani a Cn. Domitio tribuno arcessiti certissime iam anno $\frac{650}{104}$ acta est.

Tribus igitur vexatum videmus Caepionem rogationibus: quarum quae exemplo Cornificiano significetur,

---

[1]) Cic. de or. II, 47, 197.
[2]) Cic. de or. II, 25, 107 alias.
[3]) Gran. Lic. p. 21 ed. phil. Bonn. hept.
[4]) Gran. Lic. l. c.; Cic. de or. II, 28, 125.

paucis explicandum est. Atque Mommsenus quidem dici putat quaestionem extraordinariam,[1]) tribunos plebis, apud quos Caepio fortunam excusans inducitur, fuisse C. Norbanum et L. Saturninum. Quid? aurumne habet Tolosanum Cornificius? quo de dicendum erat Caepioni et, si modo poterat, excusandum, non de amissione exercitus. An ipsum scriptorem, quoniam laudavit Caepionem, idem peccasse censes, in quo infra rei plectuntur (II, 27, 43)? Immo, si ipsa verba sequeris, primam causam significari intelliges. Cui sententiae ne assentiretur nulla re impeditus est homo doctissimus, nisi eo quod, cum prima rogatio ferebatur, ne adfuisse quidem Romae, nedum fortunam excusasse videtur Caepio. Concedo: quid? videsne C. Popillium causam dicere apud Cornificium, cum re vera indicta causa abierit in exilium? Finxit sane eadem ratione Caepionis fortunae excusationem scriptor orationem secutus Sulpicii, qui cum aliquot annis post C. Norbanum lege Appuleia maiestatis accersisset, eadem fortunae excusatione usus tamen non id assecutus est, ut et equitum in Caepionem odium, quod erat maximum, et Antonii defensionem versutissimam superaret.[2])

Anno post abrogatum Caepioni imperium Cn. Domitius Ahenobarbus tribunus plebis legem tulit de sacerdotiis, quam ante oculos obversatam esse scriptori, cum exemplum I, 11, 20 afferret, supra commemoravimus (p. 5).

Non potuimus, quis quem augur de pecuniis repetundis damnatus in demortui locum nominaverit, quisve ab eo multam petierit, enucleare: illud certum est non esse Cornificii totam rem excogitare atque ementiri. Necesse est igitur accidisse rem intra annos $\frac{650}{104}$ et $\frac{673}{81}$, quoniam illo anno lata est lex Domitia, hoc lege Cornelia abrogata. Quo temporis spatio C. Marium anno $\frac{656}{98}$ absentem — erat enim in Cappadocia — augurem creatum

---

[1]) l. c. IV, 182.

[2]) Cic. de or. II, 47, 197. cf. Cic. Brut. 135.

2

scimus:[1]) sed in eius nominatione num tale quid acciderit, nescimus atque etiam, cum, si id in Marii nominatione accidisset, certissime id memoriae traditum esset, valde dubitamus. Quod cum, quo anno res acciderit, parum liqueat, hoc equidem loco pauca de exemplo ipso disputare institui, praesertim cum inde de singulis duarum legum capitibus nonnulla cognoscantur.

Atque lege quidem Domitia concessum est populo, ut eorum, quos augures nominassent, unum in comitiis sacerdotum septendecim tribus crearent, qui in collegium cooptaretur inaugurareturque. Petebantur enim sacerdotia nunquam apud populum, sed apud singulos sacerdotes,[2]) quorum quem quisque haberet dignissimum eum primum iuratus in collegio nominavit.[3]) Sic ut inde ab initio more maiorum institutum erat, lata quoque lege Domitia etiam tunc in usu manebat; quae in nominatione duas res novas sanxit, ut nominati in collegio nominarentur in contione neve unus a pluribus quam a duobus nominaretur: illam, ut omnino copia daretur populo creandi, hanc, ne cum omnes sacerdotes de unius candidatorum dignitate conspirassent, irrita fierent populi suffragia. Sic enim, si tuum iudicium adhibueris, non opinionem mente iam conceperis, Ciceronianum illud interpreteris:[4])

> „*Auguratus petitionem mihi te concessisse dixisti. O incredibilem audaciam! o impudentiam praedicandam! Quo enim tempore me augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompeius et Q. Hortensius nominaverunt (neque enim licebat a pluribus nominari), tu nec solvendo eras e. q. s.*“

Cum his verbis conferas locum Cornificianum, quo ab uno augure nominatum esse candidatum apparet.

---

[1]) Cic. ep. ad Brut. I, 5, 3. [2]) Cic. ep. ad Brut. I, 7.
[3]) Cic. Brut. I, 1. [4]) Cic. Phil. II, 2, 4.

Prorsus autem refellenda est volgaris hominum doctorum[1]) opinio qua ita hos locos interpretantur, ut vel a singulis vel a binis nomine collegii fieri solitam esse putent in contione nominationem. Cur tandem a binis? cur non singuli sufficiebant, si nomine collegii facta esset nominatio? cur concessum erat, ut vel a singulis vel a binis fieret nominatio? cur non licuit a pluribus quam a binis? Nihil est quod possint respondere. Et cum summo meo gaudio video Albertum Gemoll[2]) plane eadem qua me ratione et Ciceronis et Cornificii verba interpretatum, ut non dubitem totam eius sententiam amplecti. Poterant igitur ante dictaturam Sullae candidati, cum augure demortuo ab octonis nominarentur, in contione nominari minimum quaterni, summum octoni. Quo ex numero quem minor pars populi, quoniam populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, — i. e. septendecim tribus — vocata ad suffragia crearat, is cooptandus erat in collegium et inaugurandus,[3]) veluti Ciceronem accepimus cooptatum et inauguratum esse a Q. Hortensio Hortalo.[4])

Neque vero Cn. Domitius plane novam atque inauditam de sacerdotiis legem tulit, sed commutavit tantummodo aliquatenus et ad religionem accommodavit legem a C. Licinio Crasso anno $\frac{609}{145}$ rogatam, sed auguris C. Laelii, qui tunc praetor erat, studio atque eloquentia antiquatam.[5]) Ipsa lex Domitia a L. Sulla dictatore sublata (cf. p. 38) aliquot annis post Cicerone consule rogationis Serviliae agrariae tempore[6]) a T. Atio Labieno tribuno plebis restituta est auctore Caesare.

---

[1]) Mercklinii, Die Cooptation der Römer p. 123, Marquardtii, Röm. Alterth. II p. 144, Langii l. c. II, 501.

[2]) de coopt. sacerd. Rom. diss. Berol. 1870.

[3]) Cic. de leg. agr. II, 7, 18.

[4]) Cic. Brut. 1, 1. [5]) Cic. de nat. de or. III, 2, 5; 17, 43.

[6]) cf. laudem legis Domitiae apud Cic. de leg. agr. II, 7, 18.

Deinde qua lege cautum esse ait Cornificius, ne, qui de pecuniis repetundis damnatus esset, in contione orationem haberet, sine dubio lex erat Servilia lata a C. Servilio Glaucia tribuno plebis anno $\frac{643}{111}$, quam ipsam Sulla dictator nova lege sustulit. Sed haec hactenus.

Non tam acerrimis tribunorum incursionibus insectationibusque, non perpetuis Marii consulatibus factum est, ut opes optimatium pedetemtim frangerentur et labefactarentur, quam ipsorum impuritate morum et perdita nequitia. Quorum duo belli Cimbrici temporibus, nobile par parricidarum, summae immanitatis impietatisque facinora commiserunt: caedem filii vir censorius Q. Fabius Maximus Servilianus, matris Publicius Malleolus, cuius maiores iam ante bellum Hannibalicum consulatu functos esse testes sunt fasti Capitolini. Magna alterius potissimum sceleris fama est; de quo Cornificius haec:

> I, 13, 23: „*Malleolus iudicatus est matrem necasse: ei damnato statim folliculus lupinus (in os) et soleae ligneae (in pedes) inductae sunt. in carcerem ductus est. qui defendebant eum, tabulas in carcerem adferunt, testamentum ipso praesente conscribunt, testes recte adfuerunt. de illo supplicium sumitur: hi qui heredes erant testamento, hereditatem adeunt: frater minor Malleoli, qui eum oppugnaverat in eius periculo suam vocat hereditatem lege agnationis*“.

Perpetratum autem est facinus ad illud tempus inauditum[1]) anno $\frac{653}{101}$, si quidem Orosius[2]) tradit tanto eo perculsos esse cives terrore, ut Marii triumphum Romanamque victoriam, versa in horrorem ac maerorem tota urbe, paene fuscaverit. Ut igitur Romae L. Hostius post bellum Hannibalicum primus factus est patricida,[3]) ita matricida primus fuit Malleolus. Neque scelus singulare singulari poena caruit: quae qualis fuerit, satis notum

---

[1]) Liv. per. LXVIII. [2]) V, 17. [3]) Plut. Rom. 22.

est e Ciceronis Rosciana. Sed priusquam poenam solvit, tanta erat Malleolus impudentia, ut testamento in carcere facto fratrem minorem, a quo in periculo (testimonio opinor) impugnatus erat, ultus exheredem scriberet. Ceterum eiusmodi scelera parricidiaque inde ab hoc tempore intestinorum bellorum crudelitate continua et iuris humanitatis pietatis oblivione tanta ceperunt incrementa, ut L. Cornelius Sulla quaestionem perpetuam de sicariis et veneficis instituere coactus sit.

Sequitur alter Saturnini tribunatus. Quo de accuratissime ita scripsit Cornificius, ut eum inter vindices causae popularis numeraret, ut perfidia adversariorum occisum conquereretur, sed tamen ut legem eius frumentariam per vim perlatam concederet.

Ac de lege quidem frumentaria prorsus nihil compertum haberemus, nisi Cornificius haec de ea memoriae prodidisset (I, 12, 21):

„*Quom L. Saturninus legem frumentariam de semissibus et trientibus laturus esset, Q. Caepio, qui per id temporis quaestor urbanus erat, docuit senatum, aerarium pati non posse largitionem tantam; senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, advorsus rem publicam videri ea facere: Saturninus ferre coepit, conlegae intercedere; ille nihilominus sitellam detulit. Caepio, ut illum (contra S. C.) intercedentibus conlegis advorsus rem publicam vidit facere, cum viris bonis inpetum facit, pontis disturbat, cistas deicit, inpedimento est, quo setius feratur: accersitur Caepio maiestatis.*“

Qua in re quo quisque iure egisse videatur, paucis explanemus. Primum senatus, quippe cuius omnes reditus impensaeque publicae in potestate essent,[1]) cum de lege frumentaria deliberaret, quaestorem urbanum, qui cum nisi aut a senatu aut a consulibus iussus nullam ex aerario impensam faceret, interesse senatui coactus erat,

[1]) cf. Langium l. c. II p. 406; cf. Polyb. VI, 13; 14; 15; 17.

interrogavit, possetne aerarium largitionem pati.[1]) Quod cum negasset quaestor, suo iure decrevit senatus, si eam legem ad populum ferret, Saturninum adversus rem publicam videri ea facere. Contra cum lege Hortensia sanctum esset, ut plebiscitorum omne genus universum populum teneret, senatus lege perlata coactus erat quaestori, ut impensam pecuniae ex aerario faceret, mandare. Ex senatus autem auctoritate rogationes ferre iam post Ti. Gracchum homines seditiosi desierant. Quare tribunus, cum contra senatus consultum legem ferret, reapse non faciebat adversus rem publicam; faciebat, cum nonnullis eius collegis, quo in numero M. Baebium fuisse tradunt[2]) nondum inito suffragio intercedentibus tamen sitellam deferret. Neque vero idcirco quod contra legem sacratam acturus erat, quaestoris erat impetu facto impeditoque suffragio potestatem minuere tribuniciam, cum senatus potius esset, legem vi perlatam rescindere. Qua re commotus L. Saturninus, cum ipsum peteret Caepionem, legem illam de maiestate, de qua supra (p. 33) diximus, tulit; qua nescio an in ipso Saturnini tribunatu Caepio accusatus sit. Hanc ad causam referenda sunt haec Cornificii (II, 12, 17):

> *„Maiestatem is minuit, qui ea tollit, ex quibus rebus civitatis amplitudo constat: quae sunt ea, Q. Caepio?*[3]*) suffragia, magistratus. nempe igitur tu et populum suffragio et magistratum concilio privasti, quom pontis disturbasti". — item ex contrario: „maiestatem is minuit, qui amplitudinem civitatis detrimento adficit. ego non adfeci, sed prohibui detrimento: aerarium enim conservavi, lubidini malorum restiti, maiestatem omnem interire non passus sum."*

Videmus legem, cum primum omnium tribuniciae potestatis tuendae causa lata videatur, latius tamen ad

---

[1]) cf. Langium l. c. II, 348. [2]) Aurel Vict. 73.
[3]) cf. Bergkium in ind. schol. hib. Hal. 1858/9. p. VII.

omnes magistratus omniaque instituta publica, quae cum illis cohaererent, patuisse. Ceterum Caepio quamquam contra sententiam legis fecerat, tamen labante iam et cadente paullatim Saturnini auctoritate videtur esse absolutus, cum postea Livii Drusi adversarius fuerit longe potentissimus belloque demum sociali per insidias occisus sit. [1])

Probe autem intellexisse videtur Cornificius vim audaciamque Saturnini legum tanquam lineas transsiluisse; monet enim, „*ne nimium populi frequentia confideret (IV, 54, 67): inultos iacere Gracchos*". Quamquam hoc quidem illi magis ignoscit, quam iis, quorum perfidia vindex propugnatorque libertatis populi necatus sit (IV, 22, 31). Qua in re omnino non reprehendit Marium, qui quidem, postquam primo manifesto cum Saturnini factione fecit, tamen causam eius, cum ad turpissima consilia descendere videret, deseruit, sed arma adversus populares sumere coactus cum legitimo iudicio committere animum induxisset data fide publica in deditionem acceptos ut a furibunda senatorum equitumque multitudine defenderet, in curiam Hostiliam inclusit. Verum eos increpat, qui immemores fidei convulso tecto curiae Appuleium cum suis, praetorem, quaestorem, duos tribunos plebis, iniectis tegulis interemerunt. [2]) Haec de Saturnino.

Proximus ab hoc dux atque princeps factionis popularis videbatur Cornificio M. Livius Drusus, is qui anno $\frac{663}{91}$ tribunatum gessit. Hic morum severitate vitaeque integritate ita omnibus aequalibus praestitit, ut prudentissimo et sapientissimo cuique etiam optimatium probaretur concordiaeque in re publica auctor futurus videretur. Quamquam autem populari factioni minime sese addixerat — nam et patrem habebat eum qui tri-

---

[1]) App. b. c. I, 43.

[2]) App. b. c. I, 32; Plut. Mar. 30.

bunus plebis C. Gracchi legibus obrogasset, et ipse cum bonis civibus Saturninum oppresserat — tamen ut concordiam restitueret, quo erat ingenii acumine, et civitatem sociis dandam censuit et rei publicae administrandae potestatem inter senatores equitesque partiendam. Quod si assecutus esset, sperabat se et bellum, quod non ignorasse videtur moliri socios et „*runas sicasque a C. Graccho lege iudiciaria in forum proiectas*“[1]) sublaturum. Mitto de singulis legibus earumque capitibus quaerere iis, quarum mentionem scriptor non intulit: unum dico legem iudiciariam, quam inter primas tulerat, neque equitibus neque maiori senatus parti sufficere visam esse: illis quod ne omnis iudiciorum potestas sibi adimeretur metuebant, his quod, cum non modo iudicia, verum etiam rei publicae administrationem cum equitibus partiri iuberentur, tantam potestatis suae iacturam non ferendam arbitrabantur. Quae cum videret Livius, ut leges perferret, Gracchos imitatus a causa optimatium descivit et leges agrarias, frumentarias, nummarias ferendo totamque Gracchorum supellectilem mutuando plebem ad causam suam perducere conatus est. Quamobrem rectissime fecit Cornificius, ut eum „*Gracchûm nitorem obsoletum*“ diceret (IV, 34, 46). Eadem ratione Florus[2]) ait „*Liviüm plebem ad se Gracchanis legibus, eisdem socios ad plebem spe civitatis erexisse*“. Sed nitor certe erat Gracchorum, itaque non minus quam illorum huius mortem defiet atque deplorat, „*cuius sanguis domesticos parietes et voltum parentis adspersit*“ (IV, 22, 31). Sed ne quis inde temere ratiocinetur patrem Livii etiam tunc in vita fuisse vidisseque filii caedem, quem anno $\frac{645}{109}$, cum censor cum M. Aemilio Scauro esset, vita defunctum esse certissimo constat testimonio.[3]) Immo vero cum iis rerum scriptoribus[4]) consentit Cornificius, qui

---

[1]) Cic. de leg. III, 9, 20. [2]) III, 17, 6.

[3]) Plut. quaest. Rom. 50.

[4]) Vell. II, 14; Liv. per. LXXI; Oros. V, 18; Cic. pro Mil. 7, 16; de nat. deor. III, 32, 80.

Livium domi suae in atrio occisum tradunt: ibi enim maiorum patrisque imagines constitutae erant; dissentit ab iis qui in porticu domo suae vicina vulneratum narrant.[1])

Occiso Livio cum socii composito consilio per totam Italiam bellum movissent, Romae crudelissimae de iis, qui legi de civitate danda sociis faverant, habitae sunt quaestiones. Q. enim Caepione eodem qui paullo ante Saturnino adversatus erat, maxime auctore atque machinatore cum omnis ordo equester, quo ferebatur in fautores legis iudiciariae odio, vi armisque auxilio venisset, Q. Varius Hybrida tribunus plebis, *„vastus homo, sed in dicendo fortis actor et vehemens et verbis nec inops nec abiectus“*,[2]) primum legem pertulit, ut quaereretur de iis, quorum ope consiliove socii contra populum Romanum arma sumsissent, deinde effecit, ut *„una lege sua iudicium exerceretur, ceteris propter bellum intermissis“*. Hoc igitur iudicium tanquam campus esse videtur exemplorum Cornificianorum, quorum multa certum est huc spectare, multa etsi aliis temporibus possunt assignari, tamen veri simile est huc pertinere: nos de illis satis habebimus disputasse. Insimulantur principes illi nobilitatis accepisse a sociis pecuniam (IV, 27, 37), patriam hostibus cogitasse prodere (IV, 8, 12). Qua spe fretos socios, cum multo maximam partem sociorum in officio manere vidissent, cum tantulis viribus imperium orbis terrae ad se transferre conatos esse, non immemores Fregellanorum calamitatis, qui cum sua sponte sine externa spe auxiliisve bellum concitassent, miserrimi discessissent (IV, 9, 13.[3]) Quare iudices eos, qui *„montes belli fabricati essent, campos sustulissent pacis“*, praecipites proturbarent ex ea civitate, quam illi hostium spurcissimorum dominatu voluissent obruere — et similia. Neque vero iniuria hae nobilium virorum, amicorum Livii Drusi, criminationes iudiciaque fieri videbantur; satis

[1]) App. b. c. I, 36. [2]) Cic. Brut. 62, 221.
[3]) cf. IV, 11, 16; 27, 37.

enim notum est, Q. Pompaedium Silonem, fortissimum prudentissimumque sociorum ducem, non modo consiliis Livianis interfuisse, sed etiam domi eius hospitem per plures dies esse commoratum.[1] Quamquam tunc ipsum Drusi amici P. Sulpicius Rufus et M. Antonius legati cum sociis bello dimicavere. Itaque M. Aemilius Scaurus princeps senatus, qui consul censorque fuerat, vir praetorius Q. Pompeius Rufus, C. Aurelius Cotta L. Memmius, denique nobilissimus quisque in ius vocati sunt. Neque vero est cur Kayserus exemplum mediocris figurae ex oratione Q. Varii petitum esse suspicetur. Cur non Q. Caepionis? cur non Cn. Pomponii? cur denique non aliorum, qui sociatis cum Vario consiliis eo anno cotidie in foro versabantur atque etiam, ut ait Cicero,[2] in rostris habitabant? Illud autem constat, quotquot ab equitibus condemnati essent, iis aqua et igni interdictum esse vel, quem ad modum iudices apud Cornificium monentur, e civitate eiectos, velut L. Memmium;[3] cum plerique die dicta sua sponte in exilium abirent. Ipse vero Cornificius etsi principum nobilitatis pericula damnationes exilia haud videtur aegre tulisse, quoniam versatur in iis cavillandis, tamen Q. Varii poenam anno post ipsius lege accusati condemnatique ne verbo quidem deploravit atque adeo aut fallor aut eum, quem propter suspectam civitatem multitudo optimatium Hybridam, M. Aemilius Scaurus sive Hispanum sive Sucronensem contumeliae causa soliti essent nominare, dixit veniisse ante quam Romam venisset (IV, 21, 29).

Ex ipso quoque bello singulas res scriptor petiit. Ac primum quidem quod multo maiorem sociorum partem in officio mansisse dicit (IV, 9, 13), quatenus verum sit quidque inde sequatur, videamus. Anno $\frac{663}{91}$ nondum peracto nuntius repente Romam allatus est Picentes Vestinos

---

[1]) Plut. Cat. min. 2, 1.

[2]) Brut. 89, 305. [3]) App. b. c. I, 37.

Marsos Paelignos Marrucinos Samnites Lucanos arma cepisse; manserunt igitur in officio omnino Latini et, si victorias sociorum expectare idem est quod manere in officio, Etrusci Umbri complures urbes foederatae. Itaque cum appareat vix hanc multo maiorem potuisse dici sociorum partem, scriptor necesse est rem aut non plane compertam habuisse aut non sine aliquo studio in medium protulisse. Infra autem videbimus optime eum in rebus bello sociali gestis versatum. Ergo aut ipse in exemplo illo mediocris figurae componendo (IV, 9, 13) odio eorum, qui fecisse cum sociis arguebantur, inductus fidem augendo superiecit aut superiectam ex oratione aliqua ab ipso vel audita vel lecta transtulit. Equidem hoc potius putaverim.

Etiam mediis in hostibus cum aliae civitates tum Vestini Pinnenses et Albenses in societate Romana perstiterunt, quorum in rem publicam merita Cornificius his verbis praedicat (II, 28, 45):

„*Item vitiosum est in rebus conparandis necesse putare alteram rem vituperare, quom alteram laudes, quod genus, si, quom quaeratur utris maior honos habendus sit, Albensibus an Vestinis Pinnensibus, quod rei publicae populi Romani profuerint, de his qui dicat, alteros laedat: non enim necesse est, si alteros praeponas, alteros vituperare: fieri potest, ut, quom alteros magis laudaris, aliquam alteris partem laudis adtribuas, ne cupidius pugnasse contra veritatem puteris.*“

Optime sane utrique de re publica Romana commeriti sunt. Quorum Pinnenses [1]) tantam in eam fidem exhibuerunt, ut non modo causam suam ab Italicis popularibusque suis dissociarent, sed etiam obsessa urbe cum imperator hostium liberos eorum captivos in conspectu ipsorum constitutos destrictis militum gladiis circumdedisset, occisurum se minitans, nisi urbem tradidissent, liberis se orbatos responderent facilius quidlibet expedituros,

[1]) Diod. XXVII, 29—31

dummodo foedere Romano starent. Memorandum meherele facinus et quod haud mediocri praemio dignum esset!

Hic mihi haud abs re esse videtur, Valerium Maximum qua utatur in fontibus exscribendis neglegentia certo ostendere exemplo. Is obsessos quidem narrat bello sociali Pinnenses, verum non ab Italicis, sed ab Romano imperatore eiusque similem atque Diodorus Italicorum accusat crudelitatem.[1] Est autem difficile putatu — id quod necesse esset, si Valerio fidem haberemus — Pinna ab Italicis expugnata Romanum imperatorem eadem ratione civitatem in rempublicam fidissimam conatum esse recuperare. Immo contorsit, ut saepenumero,[2] veram fabulam et ad id consilium demutavit, ut insigne pietatis erga parentes exemplar haberet.

Sed ut revertatur, unde degressa est, oratio, cum tanto tamque praeclaro Pinnensium fidei testimonio comparat scriptor facinus quoddam Albensium, quo non minus bene de Romanis meruerint. Atque egregiam bello Hannibalico huius coloniae Latinae fuisse fidem Appianus[3] memoriae tradidit. Nam postquam Hannibal relicta Capua magnis itineribus per Samnium Romam contendit transmissoque Aniene fluvio quattuor[4]) millia passuum a porta Collina castra collocavit, tunc ipsum labante et ruinam minitante re publica Romana duo millia Albensium, Plataeenses, ut ait Appianus, imitati Romam auxilio accurrerunt. Potest igitur haec res significari a scriptore. Sed non iniuria dixerit quispiam, si scriptor Pinnensium memorabile facinus e bello Italico sumsit, cur simile alterius civitatis, quod cum illo compararet, non ex eodem bello petierit, cum plurimas per totam Italiam urbes in ipsis hostibus sitas commemorare posset? cur non Aeserniam, tam diu contra Mutilum Samnitium imperatorem defensam, cur non Firmum Hatriam Luceriam Beneventum Nolam

[1]) Val. Max. V, 4, 7.
[2]) cf. Kempfii prolegg. ad recensionem p. 26.
[3]) b. Hann. 39. [4]) App. b. Hann. 38.

Paestum dignas existimaverit, quas cum Pinnensibus conferret? quas urbes omnes eodem tempore ab iisdem hostibus cum eodem periculo oppugnatas accipimus.[1]) An tanta flagrabat historicam scientiam ostentandi cupiditate scriptor rerum ad ipsam artem rhetoricam illustrandam inutilium incuriosissimus atque etiam maxime despiciens, ut recentiora aspernaretur?

Accedit, quod Livius[2]) refert ipsam Albam Fucentiam initio belli ab Italicis esse oppugnatam. Quae cum ita sint, prorsus non dubito, quin hoc Albensium fidei erga populum Romanum testimonium scriptor dixerit. Quid? quod, si ceterorum exemplorum rationem consideraris, ne finxisse quidem putes scriptorem comparationem, sed re vera deliberatum esse de fidei eorum qui in officio permanserant mercede.

Ac primo quidem belli anno fortiter utrimque infestissimisque animis pugnatum est. Altero autem anno Romae cum non sine magno nominis Romani periculo bellum geri cum sociis intellectum esset iamiamque Etrusci quoque Umbrique defecturi viderentur, commutati sunt civium in socios animi. Itaque et Q. Varius sua lege damnatus e civitate eiectus est et „*deliberatio*“, ut Cornificii (III, 2, 2) verbis utar, „*in senatu habita, sociis civitatem daret an non, propter se consultanda*“, quod res agebatur gravissima et quae rei publicae instituta non paullum immutaret, „*propter extraneam causam consultanda*“, quod et bellum aleae plenum et relicuorum sociorum imminebat defectio. L. igitur Julius Caesar consul victoria ad Acerras parta cum comitiorum causa Romam rediisset, ex senatus consulto legem tulit, uti cives Romani essent Latini omnesque Italici, qui aut arma non sumsissent aut sumta statim deposuissent, si fundi facti essent. Praetereo singula legis velut de tribubus capita; mitto disputare de lege Papiria Plautia, additamento quodam-

[1]) cf. imprimis App. b. civ. I, 42 e. q. s.

[2]) per. LXXII.

modo legis Juliae: quibus de rebus nihil scriptor commemorat.

Nondum extinctum erat bellum Italicum iamque insuper Asiaticus hostis impendebat; cum novum subito intestinum coortum est incendium, in quo compluria Cornificii exempla versantur. P. enim Sulpicius Rufus tribunus plebis, qui L. Sulla Q. Pompeio Rufo consulibus novis rebus studebat, quam in administranda re publica rationem secutus sit, omnino non comprehenderis, si eum simul cum L. Licinio Crasso Q. Mucio Scaevola Augure M. Antonio C. Aurelio Cotta M. Livii socium fuisse oblitus sis. Cuius ut consilia miserrima morte intercepta, si posset, exequeretur, inde ab initio non modo tribunatus, sed totius vitae forensis animo proposuerat. Itaque adulescentulus C. Norbani accusatione senatus et tribunus, cum C. Iulio Caesari Straboni ante tempus consulatum petenti acerrime resisteret, legum auctoritatem defendit. Sed cum Livium equestris potissimum ordinis opibus oppressum vidisset, primum omnium hunc ad causam suam studebat perducere; praesertim cum perlata lege Plautia iudiciaria non iam esset, quod cum equitibus in certamen veniret. Itaque cum tribunus quidam rogasset, ut exules quibus causam dicere non licuisset, revocarentur, quamquam de sociis Livianorum consiliorum agebatur, tamen, ne equitum, quibus iudicibus ex lege Varia e civitate eiecti erant, rescissis iudiciis animos irritaret, primo intercessit (Cornif. II, 28, 45). Nam illud quidem omnino negaverim exules rogatione dictos esse eos, qui anno $\frac{665}{89}$ commutatis civium animis ex ipsa quidem lege Varia sed contra eius sententiam voluntatemque e factione equitum Variique in exilium missi sunt.[1]) Unde enim audimus causam iis non licuisse dicere? unde vi eiectos? Quid? cum lege Plautia adempta essent aliqua ex parte iudicia equitibus, num turbulente quicquam, num seditiose, vi

[1]) l. Langium l. c. III, 120.

armisque ac non omnia sedate, moderate, legitime acta sunt? Ipsum Q. Varium perniciosissimum rei publicae civem, a quo Q. Metellum Celerem et M. Livium Drusum per insidias necatos nemo non dictitaret, nonne damnatum lege, non indemnatum vi e republica excessisse Cicero memoriae tradit? [1]) non Cn. Pompeium Strabonem, hominem dis ac nobilitati perinvisum causam dixisse lege Varia? [2]) At contra in Varii tribunatu lex aperte in optimates intenta gladiis equitum, non civium liberis suffragiis perfertur, effugiuntur propter iniquitatem inimicitiasque iudicum iudicia, homo iam a tribuno dimissus eodem iterum crimine — condemnandus enim erat — accusatur, fiunt denique iudicia non iure, sed privato odio, non lege sed vi, sed seditione apertissima.

Gravissimo autem legum suarum perferendarum adminiculo utebatur Sulpicius societate Mariana; quorum alter alterius ope ad ea quae volebant assequenda egebant: ille ut veteranorum Marianorum animos sibi conciliaret, hic ut bellum Mithridaticum sibi gerendum deferretur. Tum demum Sulpicius Livium secutus, ut sociis eandem, quam Romani habebant, civitatem daret, legem de novis civibus, ut potestatem rei publicae administrandae inter senatores equitesque aequa portione dispensaret, legem promulgavit, ne quis senator plus octo millia sestertium aeris alieni haberet. Talibus autem rogationibus, ut sociorum numerum augeret essentque qui contra maiorem senatus partem vehementissime resistentem niterentur, rogationem de exulibus revocandis facile et sine ullo invidiae timore potuit intermiscere. Vidit profecto causam Cornificius, cum haec diceret (II. 28, 45):

„*Item vitiosum est de nomine et vocabulo controvorsiam struere, quam rem consuetudo potest optume iudicare: velut Sulpicius, qui intercesserat, ne exules, quibus causam dicere non licuisset, reducerentur, idem posterius, inmutata*

[1]) Brut. 89, 305. [2]) Cic. pro Corn. I, 29.

voluntate quom eandem legem ferret set aliis se ferre diceret[1]) *propter nominum commutationem, non exules, set vi eiectos se reducere dicebat; proinde quasi id fuisset in controvorsia, quo illi nomine appellarentur, aut proinde quasi non omnes, quibus aqua et igni interdictum est, exules appellentur. verum illi fortasse ignoscimus, si cum causa fecit, nos tamen e. q. s.*"

Sulpicius autem postquam consules ferias imperativas vi armisque coegit tollere et ex urbe discedere, cum ceteras rogationes tum illam pertulit, quod quasi pretium erat societatis Marianae, ut Sullae imperium abrogaretur, C. Mario privato pro consule provincia Asia et bellum decerneretur Mithridaticum. Tum vero Sulla Pompeiusque consules cum legionibus urbem ingressi ubi Sulpicii Mariique turbam fuderunt, senatus consulti auctores facti sunt, ut C. Marius, P. Sulpicius decem alii hostes patriae iudicarentur, libertate quoque promissa servis iis, qui dominos prodidissent. Quod Cornificius ut in C. Mario (IV, 54, 68 cf. p. 4) ita in P. Sulpicio commemorat, cuius mortem singillatim describit. Sulpicium enim equites subsecuti vel in Laurentinis paludibus vel in villa latentem[2]) uno e servis prodente extractum ingulaverunt. Atque caput eius erectum et ostentatum pro rostris velut omen imminentis proscriptionis fuit; ipsum corpus, ut Ti. et C. Gracchorum, Saturnini aliorum antea, in Tiberim proiectum est (cf. IV, 22, 31). Servum autem, qui prodiderat Sulpicium, consules manumissum, ut fides edicti extaret, praecipitari protinus saxo Tarpeio cum pileo illo scelere parto iusserunt (cf. Cornif. I, 15, 25). Unde facile intellegitur, quanto opere cavendum fuerit consulibus, ne defensoribus causae popularis hostibus iudicatis populi animos nimium ad ulciscendum incitarent, quippe qui ne

---

[1]) minime „*duceret*", quod Hanselius coniecit in Fleck. Ann. phil. 93 p. 851; nam vix ipse Sulpicius duxit.

[2]) Vell. Pat. II, 19, 1; Val. Max. VI, 5, 7.

Minturnenses quidem dimissi ipsius Marii poena affecisse videantur.

Huius igitur Sulpicii ut vivi consilia sententiasque probat ita mortui miseram sortem inter fortunas ceterorum populi patronorum scriptor deploravit atque conquestus est.

Subsecutum est bellum Octavianum, quo tota circa urbem regio continuis proeliis caedibus incendiis devastata est;[1]) hoc exceperunt, cum Marianis *„militibus urbs redundaret“*, infinitae civium caedes stragesque (IV, 52, 65 cf. contrariam Kayseri opinionem) septimusque Marii consulatus, cuius vita singillatim descripta (IV, 54, 68) tota scriptoris aetas impletur. Haec cum gerebantur, finem fecit scribendi; num vivendi fecerit, equidem non diiudicaverim; hoc tamen constat, quem de arte grammatica librum compositurum se pollicitus est (IV, 12, 17), huius ne tantillum quidem extare vestigii.

Haec habuimus, quae de iis rebus, quas e temporibus, quae ipse vidit, petiisse videtur Cornificius, dicenda putaremus. Videmus eum Herenniorum cognatione dignum popularis causae fuisse studiosissimum habita tamen et legum et decori ratione; videmus ea omnia quae commemorat, arctissimo inter se conexu cohaerere; videmus denique scriptorem harum rerum auctorem testemque esse existimandum, si scite adhibueris, gravissimum, cum rebus gestis nisus soleat tamen ita sua adspergere, ut exemplum efficiat ad rem aptum atque accommodatum (cf. p. 24 et 36).

Quoniam igitur de his rebus satis dixisse nobis videmur, deinceps de iis rebus disputandum est, quarum, cum ante eius memoriam accidissent, scriptor mentionem fecit. Quarum omnino hoc, ut supra diximus (p. 10), proprium est, ut rariores sint temporumque intervallis distinctae maioribus.

Ac primum quod proximi ab adulescentia sua temporis res singulas non prorsus ignoret, non mirabimur,

[1]) huc fortasse spectant verba exempli IV, 50, 63 allati haec: *„quia villae incensae sunt“*.

si eas et ex patre amicisque aetati suae supparibus et ex illorum temporum orationibus, quae plurimae exstabant, compertas habere poterat.

Itaque L. Cassium appellat (IV, 35, 47) quaestionis praesidem eius, opinor, quae rogatione Peducaea anno $\frac{640}{114}$ de virginibus Vestalibus instituta est; apud eundem L. Crassus pro Licinia [1]), pro se paullo post M. Antonius [2]) causam dixisse traduntur, quorum utriusque orationes Cornificius lectitavit (cf. IV, 5, 7 et p. 15). Eodem referenda videntur, quae de eo ratiocinationis discrimine fusius disserit, quod inter feminas virosque intercedat (IV, 16, 23): cum satis constet nonnullos etiam equites quaestione illa damnatos esse. [3]) Quid? quod eadem in quaestione pro Ser. Fulvio de incestu videtur habita esse oratio C. Scribonii Curionis, ex qua Cornificius unum certe enuntiatum hoc desumsit (II, 20, 33):

> „*Nemo potest uno aspectu neque praeteriens in amorem incidere.* [4])

Simili de fonte petiisse videtur ea, quae de defectione Fregellanorum commemorat pluribus locis. Fuerunt Fregellae urbs Italiae florentissima et secundum ipsam Romam facile incolis frequentissima; quod et inde collegeris, quod C. Claudio Pulchro, Ti. Sempronio Graccho consulibus (a. $\frac{577}{177}$, cum legationes sociorum nominis Latini in senatu Romano cives suos Romae censos plerosque Romam commigrasse quererentur, Samnites invicem Paelignique conquesti sunt, millia quattuor familiarum transisse ab se Fregellas, [5]) et inde quod scriptor urbem inter maximas veterum populorum urbes a Romanis dirutas refert, Kar-

---

1) Cic. Brut. 43, 160.

2) Val. Max. III, 7, 9. 3) Ascon. p. 46.

4) cf. Cic. de inv. I, 43, 80: aut si id, quod raro fit, fieri omnino negetur, ut Curio pro Fulvio: Nemo potest e. q. s. — Brut. 32, 122.

5) Liv. XLI, 8.

thaginem, Corinthum, Numantiam IV, 27, 37 dicitque nitorem eius Italiam nuper illustrasse IV, 15, 22. Quo factum est, ut iam pridem Fregellani, ubi socii de aliqua re habebant, quod Romae quererentur, onus susciperent oratoresque mitterent, qui etiam in urbanorum consessu satis multum valerent.[1]) Hi postquam M. Fulvius Flaccus, qui a Gracchanis stabat, anno $\frac{629}{125}$ consul factus lata lege de civitate sociis danda, tamen, cum repugnantem senatum, adversantem civitatem videret, rem incohatam reliquit: sive pacti sive spe ducti ceteros socios, velut Asculanos, secum facturos repentinum tumultum concitaverunt. Sed cum nemo auxilio venisset, urbs statim a. L. Opimio praetore, eo qui postea C. Gracchum oppressit, proditione Q. Numitorii Pulli in deditionem accepta disiectis moenibus ita funditus deleta est, ut „*vix fundamentorum reliquiae remanerent*“ (Cornif. IV, 15, 22). Oppressa seditione diligentissime in homines populares num conspirassent cum Fregellanis, inquisitum est. Tamen cum ipsum C. Gracchum, qui eo tempore in Sardinia quaestor fuerat. eodem crimine accersitum senatorii iudices absolverint, non dubitandum est, quin sua sponte, non spe freti Romanae proditionis Fregellani ad bellum consurrexerint. Neque Cornificii tempore quisquam de innocentia illorum reorum dubitasse videtur. Quod ni ita esset, non eum qui in socios Livianos invehitur, haec sibi fecisset obicientem (IV, 9, 13):

> „*Quid? Fregellani non sua sponte conati sunt (sc. imperium ad se transferre?) eo quidem isti minus facile conarentur, quod, illi quemadmodum discessissent, videbant: nam rerum imperiti e. q. s.*“

Ibi enim comparantur socii, qui anno $\frac{664}{90}$ contra Romanos in armis erant, cum Fregellanis: hos non mirum esse sua sponte et sine spe clandestini auxilii bellum

[1]) Cic. Brut. 46, 170.

iniisse; illos cum de sorte Fregellanorum exemplum petere potuissent, certum esse non sine aliqua spe externi auxilii arma sustulisse. Erratum igitur est ab iis, qui omnia illa exempla, quibus proditores patriae perstringuntur quaeque nos sociali bello attribuimus, huc referenda censuerunt.[1]) Sed ne quid nimis.

Veniamus iam ad C. et Ti. Gracchos. Qui qua ratione nepotes Africani — Africanum enim semper vocat Cornificius maiorem Scipionem (IV, 25, 34; 15, 22; 31, 42), cum minorem simpliciter Scipionem appellet (III, 2, 2; IV, 13, 19; 32, 43) — possint nominari (IV, 15, 22; 31, 42), quantique eorum tempore tumultus fuerint (IV, 28, 38), explicare supersedeo. Item quae scriptor de C. Gracchi occisione commemorat praedicatque (IV, 22, 31), cum nota sint atque apud omnes pervolgata, leviora sunt: illa vero gravissima, quae de Ti. Gracchi morte uberius exposuit (IV, 55, 68). Narrat enim haec:

„Quod simul atque Gracchus aspexit, fluctuare populum verentem, ne ipse auctoritate commotus sententia desisteret, iubet advocari contionem. iste interea scelere et malis cogitationibus redundans evolat e templo Iovis, † stans oculis ardentibus, erecto capillo, contorta toga. illi praeco faciebat audientiam; hic subsellium excors[2]) calce premens dextera pedem defringit et hoc alios iubet idem facere. quom Gracchus deos inciperet precari, cursim isti inpetum faciunt et ex aliis alius partibus comminus accedunt[3]) atque e populo unus: „heus tu[4]) fuge, inquit,

[1]) Cornif. IV, 9, 13; 11, 16; 27, 37 (non dico te ab sociis pecunias e. q. s.) cf. Langium l. c. III p. 27.

[2]) perperam Kayserus priore editione *„quod erat in foro“* ex corruptelis *„seors“ „scoro“* effecerat; longius quoque coniectura *„subvorsum“* petita mihi videtur cf. Iordanum l. c.

[3]) hoc mihi inesse videtur in codicum scripturis *„commodant“*, *„commendant“*, unde plurimorum sed deteriorum codicum scriptores coniecerunt *„commeant“* vel *„convolant“*, Kayserus superiore editione perperam *„conmetant“*, nunc commeant.

[4]) cf. Iordanum l. c.

Tiberi, non vides? respice inquam." deinde vaga multitudo subito timore perterrita fugere coepit; at iste spumans ex ore scelus, anhelans ex intumo pectore crudelitatem contorquet brachium et dubitanti Graccho, quid esset, neque tamen locum, in quo constiterat, relinquenti, percutit tempus: ille nulla voce delibans insitam virtutem concidit tacitus; iste viri fortissumi miserando sanguine aspersus, quasi facinus praeclarissimum fecisset, circum inspectans et hilare sceleratam gratulantibus manum porrigens in templum Iovis contulit sese".

Mira profecto rerum farrago et quae paene omni numero ab historicis discrepet. Primum enim quod Cornificius Gracchum, cum fluctuare populum videret, contionem advocasse dicit, eam videtur significare, quam ille, ut Sempronius Asellio [1]) Plutarchus [2]) Appianus [3]) tradunt, paullo ante ipsam necem cum proxima comitia tribunicia irrita facta essent, ut civium animos ad misericordiam sui induceret, atra veste indutus in forum convocavit. Neque vero in illa contione tribuno mors oblata est, sed in Capitolio comitiis iteratis. [4]) Solus Florus cum in aliis rebus tum in eo a ceteris auctoribus dissentit, quod caedem narrat a foro coepisse indeque Gracchum in Capitolium profugisse [5]); cuius dubito an nulla sit in tanto omnium consensu ratio habenda. — Deinde non e templo Iovis evolasse Nasicam — hunc enim dicit scriptor —, ut Gracchum peteret, sed in Capitolium evasisse, senatum in aede Fidei habitum esse accuratius scribunt Appianus et Valerius Maximus. [6]) Nasicam autem ex superiore parte Capitolii summis gradibus insistentem hortatum esse, qui salvam vellent rem publicam, se sequerentur, magis rei exaggerandae causa quam veritatis mihi ipse excogitasse videtur Velleius. [7]) — Tum initio contionis necatus esse

[1]) Gell. II, 13. [2]) Ti. Gr. 16. [3]) b. civ. I, 14.

[4]) Liv. per. LVIII; Val. Max. I, 4, 2; Vell. Pat. II, 3, 1; Oros. V, 9; Aurel. Vict. LXIV; Plut. l. c.; App. l. c.

[5]) III, 14, 6. [6]) III, 2, 17. [7]) II, 3, 1.

Gracchus dicitur a Cornificio. Mos enim contionum hic a patribus institutus erat, ut advocata contione factaque per praeconem audientia non tamen ad rem ipsam veniretur, nisi dis prius sollemni precatione invocatis. Quod cum faceret Gracchus, inopinatum eum dicit a Nasica percussum. At vero neque praeerat comitiis Gracchus, id quod Iordanus (l. c.) suspicatur, sed si Plutarcho fidem habemus, a quo minime dissentit Appianus, Mucius tribunus,[1]) neque initio comitiorum aut imprudens necatus est, sed post tribunorum intercessionem fugamque optimatium qui comitia impedire temptaverant, post clausum a sacerdotibus templum, postea denique quam certior factus de senatus consulto a Flacco senatore cum appropinquantem cum senatoribus Nasicam conspicatus esset, ut periculum ostenderet, quoniam prae tumultu exaudiri non poterat oratio, caput manu tetigit: tum demum mortem erat obiturus. — Nam hoc quoque falso tradit Cornificius locum a Graccho, in quo constiterat, non relictum esse, cum contra inter alios omnes constet, cursim eum aufugisse decurrisseque clivo Capitolino, dum fragmine subsellii ictus occideret.

His igitur in rebus maximis gravissimisque cum dissentiat scriptor a ceteris, miror Iordanum, quamquam ipse nonnulla in maius extolli concedat, aliquam tamen fidem habendam Cornificio iudicare. Qui quo iure Cornificii et Appiani rei expositiones inter se conciliet, quaque ratione Appiani verba interpretetur, ut auctoritatem imminuat Plutarchi, ipse diiudices: ego historicorum, cum verba sine ullo artificio interpreter, auctoritatem malim defendere contra nugas oratoris. De alia huius viri doctissimi coniectura paullo infra videbimus.

Quibus autem in rebus paucissimis cum ceteris congruit Cornificius, hae et minimi momenti et eiusmodi sunt, quae cuique facile penitus in memoria insederint:

---

[1]) ea enim iusta nominis forma fuisse videtur eius tribuni, quem eundem Mummium vocat Appianus, Minucium Orosius V, 8.

velut Nasicam contorta toga incessisse, multitudinem dignitate viri perterritam fugere coepisse, Gracchum subsellii pede percussum esse.

Solus Diodorus in reliquiis, quae admodum paucae de hac re extant, compluribus numeris neque iis levioribus ut dissentire ab aliis, ita consentire videtur cum Cornificio. Et vehementer dolendum est, quod in tanta fragmentorum paucitate et brevitate, quatenus pateat consensus, prorsus non potest erui. Is non modo ipsum Nasicam sua manu percussisse Ti. Gracchum tradit, cum Plutarchus percussores eius P. Satureium collegam et L. Rufum nominatim proferat,[1]) sed etiam impetum ab eo in Gracchum factum et animi furorem concitationemque plane eodem modo describit atque depingit, his verbis:

[2]) *Οὗτος μὲν οὖν ἀμετάπτωτον ἔχων τὴν ἐπὶ τὸν ὄλεθρον ὁρμὴν ταχὺ τῆς προςηκούσης κολάσεως ἔτυχεν. καὶ ὁ Σκιπίων ξύλον ἐκ τῶν παρακειμένων..... ὁ γὰρ θυμὸς παντὸς τοῦ δοκοῦντος εἶναι δυσκόλου περιεγένετο.....*

[3]) *Ὁ τούτου δὲ* (Nasicae Corculi) *υἱὸς πρεσβύτης ἦν τὴν ἡλικίαν καὶ Τιβέριον Γράκχον τυραννεῖν ἐπιχειρήσαντα ταῖς ἰδίαις χερσὶν ἀπέκτεινε, προηγούμενος τῆς συγκλήτου.*

Unum inter eos intercedit discrimen hoc, quod Cornificius admirationis Gracchorum plenissimus Gracchum quasi hostiam ad aram stantem mactatum conqueritur, virtutem animo insitam collaudat, Scipionis ignaviam crudelitatemque tribunum deos precantem opprimentis conviciis consectatur; Diodorus Aemiliani eiusque sociorum similis non contumeliose ille quidem de Graccho dicit, sed eum necessario quodam in perniciem protractum impetu meritas solvisse poenas.

---

[1]) Ti. Gr. cap. 19.

[2]) Diod. XXXIV/V, 28 (M. p. 104).

[3]) Diod. XXXIV/V, 60 p. 154 (V, p. 381).

Difficillimum est, unde sua quisque auctores sumserint, disquirere. Nam ne Plutarchi quidem Appianique, qui soli accuratius rem tradidere, fontes qui fuerint, quamvis multi conati sunt indagare, plane exploratum habemus. Atque Plutarchum quidem apparet animo Gracchis amicissimo res ab iis gestas descripsisse, neque quem ad modum Wijnnius [1]) verba Nitzschii [2]) possit contra hanc sententiam afferre, assequi possum. Quare et Hermannus Peter [3]) et antea Nitzschius [4]) Klappiusque [5]) sibi persuaserunt in vitis Gracchorum Plutarchum praeter Polybium Posidonium Ciceronem fonte primario usum esse C. Fannii annalibus. Qui cum in consulatu, quem auctore C. Graccho adeptus erat, legem eius de sociis oratione dissuasisset Ciceroni maxime probata, consiliorum tamen etiam in annalibus fautor, ut fuerat, ita permansit, cuius rei haud scio an testem habeamus locupletissimum Crispum Salustium, qui veritatis laudem Fannio attribuat. [6]) Quo fit, ut initio Plutarchus leges consiliaque Gracchorum probet et saluberrima iudicet et totus cum iis faciat, post, cum illi popularis aurae retinendae causa omnem nobilitatis auctoritatem e civitate sublaturi visi sint, talia minime comprobet, neque vero ipsos Gracchos exprobret, sed M. Fulvium Flaccum instigasse Gaium insimulet. Nihilo minus Paulus Böhme [7]) post hos viros doctos effecisse se putat, Plutarchum non tam annales Fannianos — quamquam negat prorsus illum iis abstinuisse — quam Gracchorum et orationes et reliqua scripta secutum esse. Tanto denique opere de

---

[1]) de fide et auctoritate Appiani in bellis Rom. civilibus enarrandis exploratis fontibus, quibus usus esse videtur pag. 25.

[2]) Die Gracchen und ihre nächsten Vorgänger p. 443.

[3]) Die Quellen Plutarch's in den Biographien der Römer p. 97.

[4]) l. c. p. 455.

[5]) de vitarum Plut. auctor. Rom. pag. 21 et 35.

[6]) Mar. Victor. in Cic. rhet. I, 20.

[7]) Beiträge z. Gesch. d. Gracchen progr. Putbus.

Plutarchi fontibus inter viros doctos ambigitur, ut nuper Robertus Schmidt[1]) permultis, unde sua petere potuisset scriptor, fontibus enumeratis hoc solum pro certo se posse affirmare libere confessus sit, non posse certa fontes Plutarchi demonstrari argumentatione. Neque alia ratio est fontium Appiani, qui cum multis in rebus, tum in mortis Ti. Gracchi descriptione nonnulla parte a Plutarcho dissentit. Cui Peterus[2]) Sempronium Asellionem dubito num iure auctorem assignandum suspicetur. Nam quam facile sit in hac re quidvis suspicari, quam difficile necessarie demonstrare, luculenter apparet ex ea sententia, ad quam Wijnnius pervenit:[3]) „*Veri simile esse indicavi Appianum Rutilium, Posidonium, Livium usurpasse. Ceteros ab eo neglectos haud perhibui, sed de his, num eos adhibuerit, non liquere ostendi*". Itaque desperare malim cum Boehmio[4]) fontes Appiani unquam posse indagari, quam quod ipse pro certo non habeam, aliis pro certo affirmare. Hoc autem ii, qui de Plutarchi Appianique fontibus scripsere, inter alios mihi probaverunt, testibus rerum utrumque usum esse, sed diligentiore et locupletiore Appianum.[5])

Neque minus Cornificii ita comparata est rei descriptio, ut ipse quoque eius quasi praesentis exprimere videatur imaginem. An appellationem Tiberii, ipsius Nasicae scelus, itum reditumque, contionem alia ita ut describeret, solo partium scriptoris studio factum putas, non fontis alicuius indole? At hoc prorsus non est Cornificii ipsas res vel ementiri vel narrando depravare atque corrumpere. Accusatur Scipio Nasica: hanc exteriorem exempli formam Cornificio do atque attribuo; crimen, quo accusatur, fonti eius adiudico. Quodcum in fontem Cornificii inquiramus, primum totum eum atque etiam

---

[1]) Kritik der Quellen zur Geschichte der Gracchischen Unruhen pag. 7.

[2]) hist. lat. rel. CCLI. [3]) p. 28. [4]) l. c. p. 13.

[5]) cf. Nitzschium l. c. p. 447; Schmidtium l. c. pag. 15.

multo magis quam Plutarchum Gracchis addictum fuisse in eorumque verba iurasse facile intellegitur. Idem Gracchorum orationes, ut supra commemoravimus (p. 15), diligentissime studiosissimeque lectitavit didicitque, in orationibus vero Gaii imprimis versatus videtur (ibid.). Atqui scimus e Charisio[1]) C. Gracchum anno $\frac{623}{130}$ cum rogationem Papiriam de tribunis reficiendis suaderet, populum ad misericordiam miserrimi fratris interitus adduxisse; veri simile autem est saepissime eum scelus illud iniustissimum foedissimumque in animos civium revocasse. Quae cum ita sint, non dubito quin ex huius orationibus, quicquid de Tiberii occisione compertum habebat, petierit. Facile enim fieri poterat in tanta omnium trepidatione, in tanto totius Italiae tumultu, in tanta civium dissensione, ut etiam paucis annis post occisum Tiberium de singulis rebus diverse, quo quemque partium studium ferret, dictitaretur, aliter ab optimatibus, aliter a sociis Scipionis Aemiliani, aliter a fratre, atque ut sui cuique eorum maximam fidem haberent. Neque tamen puto dum haec scriberet inspexisse Cornificium C. Gracchi orationes, sed ea, quae ex iis a puero tractatis utcunque in memoria retinuisset, verbis expressisse. Diodorus denique, cum neminem, ne Collmannum quidem, in haec fragmenta inquisivisse videam, mihi quidem videtur, si licet ex sententia, quam ille de nece Ti. Gracchi habuerit, ratiocinari, fonte usus esse Posidonio, quem consentaneum est idem sensisse, quod Scipionem Aemilianum C. Laelium alios. Nam et discipulus erat Panaetii stoici, qui ex domesticis fuerat Scipionis, et pleraque petiit ex P. Rutilii Rufi historiis graece conscriptis,[2]) qui ipse inde a bello Numantino Scipione eiusque amicis familiarissime usus erat. Quod autem sua ipsum manu Nasicam Gracchum percussisse memoriae tradidit Dio-

[1]) ed. Keil. p. 240, 196, 202, 223.
[2]) cf. Athen. IV, 66.

dorus, haud scio an ipse inde collegerit, quod Nasica, cum ceteri senatores a tribunis plebis interrogati negavissent occidisse sese Tiberium, ipse, molitor certe atque architectus sceleris, crimen susceperit.[1] Atque haec quidem hactenus.

Iam vero in iis exemplis, quae repetuntur a tempore interiecto inter necem Ti. Gracchi bellumque Punicum secundum, singulares res ita desinunt commemorari a Cornificio, ut a quolibet eas accipere ipsum potuisse appareat. Quotus enim quisque erat eius aequalium, qui nesciret Numantiam, Corinthum, Karthaginem deletas esse a populo Romano (IV, 27, 37) vel Scipionem, ut exercitui Karthaginem obsidenti consul praeesset, primum lege annali solutum esse (III, 2, 2) et praeclarissime de republica meritum (IV, 13, 19; 32, 43), vel ambos Scipiones hominemque novum C. Laelium longe ceteris virtutibus praestitisse (IV, 32, 43; 25, 34; 13, 19) vel summum inter Catonem Scipionemque Nasicam Corculum de Karthagine delenda certamen in senatu exstitisse (IV, 14, 20 cf. III, 2, 2), vel denique reges, velut Perseum Gentium Syphacem a maioribus armis illos quidem captos, sed non, ut Iugurtham nuper, vita privatos esse (IV, 16, 23)? Uno tamen exemplo potest demonstrari Catonis orationes, quas legisse se ipse affirmat (cf. p. 15), scriptori ante animum obversatas esse. Tradit enim (IV, 16, 23) more maiorum mulierem, quam impudicam iudicassent, eam veneficii quoque damnatam solitam esse existimari. Docet autem Quintilianus[2]) Catonis hanc fuisse ratiocinationem qui *„nullam adulteram non eandem esse veneficam"* dictitasset. Quid igitur impedit, quominus eam uni earum orationum, quae senatus consulto de Bacchanalibus facto inde ab anno $\frac{658}{186}$ de veneficiis vel de coniurationibus clandestinis habuit, assignemus? Nam unam quidem

[1]) Diod. XXXIV/V, 60 p. 154 (V. p. 381).
[2]) V, 11, 39.

constat ab eo de coniuratione orationem habitam esse.[1] Praeterea exemplum illud, quo complexionis figura illustratur, ita ad sententiam Catonianam accommodatum est, ut Ellendtius Cornificianae exemplorum rationis immemor temere ipsa scriptoris verba in fragmentis Catonianis numeret.[2] Quamquam hunc iam Kayserus et Iordanus rectissime, ut mihi videntur, refellerunt. Bello enim indicto Punico tertio cum Karthaginienses triginta legatos Romam, ut sibi ignosceretur, misissent, Catonis sententia devicit, ut in decreto perstaretur et ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur. Neque alienum est cum verbis Cornificii comparare fragmentum Catonianum hoc, quod apud Nonium[3] exstat:

„Cato in quarto Originum: „Deinde duoetvicesimo anno post dimissum bellum (sc. Punicum primum), quod quattuor et viginti annos fuit, Karthaginienses sextum de foedere decessere“.

Consentaneum autem est eum potissimum non desiisse perfidiam Poenorum accusare, quem dicit Appianus[4] negare consuesse unquam tutam fore Romanis libertatem, priusquam Karthago sublata esset. Quae cum ita sint, hoc mihi persuasi, si quemquam historiae scriptorem, Catonis Origines rerum inde a bello Punico secundo gestarum Cornificio fuisse fontem primarium, praesertim cum is non modo illius temporis spatii a Romanis semper habitus sit testis et optimus et amplissimus, sed etiam propter plurimas orationes operi insertas singulari studio lectitatus.

Verum cum ceterarum rerum etiam fontes indagare conati simus, unius exempli ne res quidem quamvis sin-

[1]) or. 16.

[2]) brev. eloquentiae Rom. ante Caes. historia cf. Iordanum in ed. fragm. Cat.

[3]) s. v. duodevicesimo p. 100 cf. Gell. X, 1, 10.

[4]) b. Pun. 69.

gillatim descriptas quas scriptor significaverit, exploratum habemus. Haec enim narrat aenigmata (IV, 54, 68):

„Lemnum praeteriens cepit, inde Thasi praesidium reliquit, post urbem Lusimachiam sustulit, inde susus[1]*) in Hellespontum, statim potitur Abydo“.*

Exemplum librariorum inscientia valde corruptum neque etiam nunc, opinor, omnibus numeris sanatum. Quo iter exercitus navi oras Macedonicas Thracicasque ad Asiam versus legentis maximasque earum urbes expugnantis describi apparet. Quare si quis difficultates quamvis magnas praetervolaverit, de eo itinere cogitaverit, quod, cum ad bellum Antiochenum proficiscerentur Scipiones fecisse traduntur a Polybio,[2]) Livio,[3]) Appiano,[4]) Diodoro Siculo.[5]) Nam et via eadem profecti sunt eademque loca ingressi: certissime Lysimachiam et Hellespontum et, si recte coniecisset Kayserus, Sestum, fortasse Abydum: et primum illud Romani exercitus in Asiam iter solum a rerum scriptoribus accuratius descriptum est. Nihilominus si diligentius in ea, quae historici omnes uno ore memoriae prodidere, inquisiverimus, facile apparebit hoc iter a Cornificio sicunde desumptum esset, omnino non ita ut descriptum est, describi potuisse. Primum enim constat, Romanum exercitum terra per Thessaliam Macedoniam Thraciam[6]) profectum esse nulla stipatum classe, si quidem Eumenis regis navibus in Asiam traiectus est, dum Romana sociorumque classis ad oram Asiaticam continuis pugnis detinebatur; deinde certum est neque Thasum aut Lemnum a Scipionibus captam esse neque Lysimachiam sublatam, sed pugna ad Myonnesum facta ab rege ultro relictam tantummodo cursim occupatam

---

[1]) cf. Spengelium in Mus. Rhen. XVI p. 391; — *„Sestum“* Kayserus, *„versus“* Halmius in Mus. Rhen. XV, 536, *„reversus“* Iordanus in Herm. vol. VIII coniecerunt.

[2]) Polyb. XXI, 12. [3]) Liv. XXXVII.

[4]) App. Syr. 21 etc. [5]) Diod. Sic. XXIX, 5.

[6]) Liv. XXXVII, 7, 16 extr.; 33.

esse. Itaque si res tam singulares nisi ipso fonte in scribendo inspecto describi potuisse vix putandum est, omnino non potuit hoc iter, quo de nulla est inter rerum scriptores controversia, scriptor denotare. Neque vero, quae multo magis, sed et ipsae non plane in exemplum Cornificianum quadrant, διαδόχων, quos vocant, vel Philippi Macedonum regis, eius qui cum Romanis dimicavit, veri simile est significari similes harum urbium expugnationes praeterque oram maris Aegaei septentrionalem navigationes. Nam quae profert Iordanus,[1] dubito num cuiquam probet. Is enim iter dici suspicatur regis Antiochi, qui, cum pugna ad Thermopylas commissa devictus esset, veritus ne statim Romani in Asiam traicerent, navibus, quae paratae instructaeque erant, Chersonnesum petiit, ut ea loca, si forte terra venirent Romani, praesidiis firmaret, Sestum Abydum Lysimachiam.[2] Quid enim? quam urbem a Thracibus antea eversam ipse de integro condiderat,[3] Lysimachiam, putat homo doctus, regem ideo, ut quasi horreum armamentariumque haberet,[4] sustulisse (Cornif. l. c.)? potitum esse Abydo, quam urbem iam per aliquot annos occupatam tenebat neque unquam interim amiserat?[5] Quae cum ita sint, nullam puto spem esse unquam huius exempli argumentum posse explicari atque definiri: nisi fere hoc recte suspicamur iter a Lucullo, Sullae quaestore, cum classe ab ora Thessaliae Abydum confectum dici.[6] Hoc enim Cornificius cum non ipse cognitum, sed fama et auditione acceptum haberet, minus accurate atque etiam quoniam in maius fere fama res extollit, perperam describere potuit. Accedit quod hoc certe constat, totius fere maris Aegaei insulas urbesque maritimas in potestate fuisse Ponticorum. Sed

[1]) l. c.
[2]) Liv. XXXVI, 21; 41, 6—43, 3; App. Syr. 21.
[3]) App. Syr. 1, 3; Diod. Sic. XXVIII, 13.
[4]) App. Syr. 21.
[5]) App. Syr. 1: Ἑλλήσποντον ὀχυρὸν.
[6]) App. b. Mithr. 51 et 56.

ne haec quidem sine aliqua dubitatione in medium profero.

Et quoniam in res, quas e tempore inter bellum Hannibalicum ipsiusque aetatem interiacente scriptor desumsit, ita ut per indolem exemplorum licuit, inquisivimus, veniamus iam ad ipsum bellum Hannibalicum, quo nomine bellum Punicum secundum saepissime appellatum invenio. Quod ab iis, quae insecuta sunt, temporibus in disputando ea de causa seiunximus, quia rerum scriptorem, cuius ex scriptis ea, quae de bello sciat, didicerit, certiore quadam ratione posse nobis videmur commonstrare. Tam enim res profert singulares, ut non volgari eum scientia historica fuisse, sed a certo quodam historico instructum esse perspicuum sit. Atque multi ei rerum scriptores praesto fuerunt, si Graecis uti volebat, Silenus Sosilus Chaerea Polybius, si popularibus malebat, annales Fabii Pictoris, Cincii Alimenti, Calpurnii Pisonis aliorum, origines Catonis, historia belli Punici secundi L. Coelii Antipatri. Quorum quem scriptor inspexisse videatur, facile intellegitur ex exemplo III, 5, 8 allato; ubi haec scripta sunt:

> „*Set si acciderit, ut in consultatione alteri ab tuta ratione, alteri ab honesta sententia sit, ut in deliberatione eorum, qui a Poeno circumsessi deliberant, quid agant, tutam rationem sequi qui suadebit, his locis utetur: nullam rem utiliorem esse incolumitate e. q. s.; qui tutae rei praeponet rationem honestam, his locis utetur: virtutem nullo tempore relinquendam e. q. s.*“

Videmus Poenum victorem; videmus quosdam ab eo circumsessos; videmus illos ipsos in summis angustiis quid agant deliberantes et in utramque partem disputantes. Quam autem rem in voluminibus scriptorum quamvis diligenter excussis pervestigatisque invenire possis, quae magis congruat cum verbis Cornificianis, quam ea, quam post pugnam Cannensem cum magna nominis Romani partim laude partim ignominia accidisse

tradit Livius?[1]) Romanus exercitus ad internecionem devictus; alter consul cum multis tribunis militum, consularibus, praetoriis aediliciis senatoribus senatoriis occisus; alter consul vix cum quinquaginta equitibus fuga servatus. Ceteri, qui ipsi caedi superstites erant, si a duobus millibus militum in vico Cannis ab equitatu Poenorum circumventis occisisque discesseris, in bina Romanorum castra ad Aufidum sita confugerunt, millia decem in maiora, septem in minora. Ibi cum multitudo semiermis (?) sine ducibus esset, tenebris obortis nuntium, qui in maioribus castris erant mittunt in minora castra, dum proelio, deinde ex laetitia epulis fatigatos quies nocturna hostes premeret, ut ad se transirent: uno agmine Canusium abituros esse. Eam sententiam qui in minoribus castris erant plerique cum ipsi summis pugnae laboribus fessi essent Numidasque castris circumfusos viderent, plane aspernati sunt. Solus tribunus militum P. Sempronius Tuditanus agmen fessum timidumque fortibus verbis et vere Romanis conatus est, ut rem ingentem auderent, cohortari: Saluti patriae et libertati suae mallent vitam dedere, quam immani hostium crudelitati ignominiaeque sempiternae; neque admodum timendum esse, ne ab hostibus concubia nocte neglegentioribus lacesserentur. Secuti sunt tribunum fere sescenti relicuis redemptum se iri sperantibus: quos cuneo facto incolumes in maiora castra, deinde cum iis, qui in maioribus castris erant, Canusium perduxit. Quae omnia qui considerarit, nihil concedet deesse eorum, quae exemplo Cornificiano expressa sunt: non Poenos triumphantes, non Romanos obsessos, non denique milites inter se disceptantes. Neque vero quisquam rerum scriptor omnibus numeris ita, ut Livius, cum Cornificio consentit.

Nam Polybius quidem[2]) de iis quae in minoribus castris acciderunt, omnino nihil memoriae prodidit, non quo non memorabilem rem duxisset, sed quia totam rem

[1]) XXII, 50. [2]) III, 117.

alios auctores secutus aliter descripsit. Qui neque ante pugnam praesidium relictum esse in minoribus castris neque post pugnam eo partem exercitus confugisse commemorat, sed de maioribus tantum castris loquitur: ibi a Paullo, cum ad pugnam exercitus educeretur, decem millia hominum relicta esse, qui, dum pugnaretur, castra Poenorum, si possent, repentino impetu facto caperent hostiumque aciem a tergo adorirentur. Hannibalem autem, cum praesidium castrorum Poenorum Romanorum impetum fortiter sustinuisset, pugna finita qui maioribus castris praesidio relicti essent, paulisper proeliatum inclusisse inclusosque sine ulla eorum mora aut deliberatione in deditionem accepisse. P. vero Sempronii Tuditani facinoris omnino nullam mentionem facit, unde non immerito colligatur, Livium paullo infra [1]) ubi in enumerandis nominibus eorum tribunorum, qui paucis diebus post pugnam Canusium cum exercitus reliquiis convenissent, Tuditanum omisit, Polybio fonte usum esse: praesertim cum ibi P. Cornelius Scipio, is qui postea Africanus dictus est, primum solus copiis praeficiatur maioribus. Quod recte collectum esse appareret, nisi libri sexti fragmentum quod huc pertineret deesset. Ne multa, videmus narrationem Polybii immane quantum discrepare ab ea, quam et Livius et Cornificius ante oculos habuerint.

Prorsus alia ratio est Plutarchi. Is quamquam brevissime in vita Fabii Maximi [2]) de hac re exposuit, hoc tamen tradidit capta esse binis castris non minus decem millia hominum. Quibus in rebus omnibus plane consentit cum Livio, qui ex ipsis quoque qui in maioribus castris fuerant, tradit eos, quibus vires animusque defuissent, remansisse et a Poenis esse captos. [3]) Nam illud haud fere quisquam obiciet, quod Livius, cum totam rem accuratius describat, duodecim millia ducentos efficit, Plutarchus, cum breviter tantum strictimque rem tangat,

---

[1]) XXII, 53. [2]) c. 16. [3]) XXII, 52.

summatim non minus decem millia fuisse captivorum commemorat.

Deinceps videndum est de Appiano, a quo ita singulae res enarrantur, ut, quamvis ex parte differant, tamen necessitudinem quandam inter Appianum Liviumque intercedere nemini non primo aspectu perspicuum sit. Tradit enim haec:

[1]) *Ἐπεὶ δὲ ἔπεσον αὐτῶν (Ῥωμαίων) οἱ στρατηγοί, διὰ μέσων βιαζόμενοι τῶν ἐχθρῶν μάλα καρτερῶς, κατὰ μέρη διέφευγον· οἱ μέν, ἔνθαπερ οἱ πρὸ αὐτῶν ἐπεφεύγεσαν, ἐς τὰ στρατόπεδα, δύο ὄντα· καὶ σύμπαντες οἵδε ἐγένοντο ἀμφὶ τοὺς μυρίους καὶ πεντακισχιλίους, οἷς ὁ Ἀννίβας φυλακὴν ἐπέστησεν. οἱ δ' ἐς Κάννας, περὶ δισχιλίους· καὶ παρέδωκαν ἑαυτοὺς οἵδε οἱ δισχίλιοι τῷ Ἀννίβᾳ· ὀλίγοι δ' ἐς Κανύσιον διέδρασαν.*

[2]) *Τῶν δὲ φυγόντων ἐκ τῆς μάχης οἱ μὲν ἐν τῷ μείζονι στρατοπέδῳ στρατηγὸν αὐτῶν ἑσπέρας ἑλόμενοι Πούπλιον Σεμπρώνιον ἐβιάσαντο τοὺς Ἀννίβου φύλακας ὕπνου καὶ κόπου πλήρεις ὄντας καὶ διέδραμον ἐς Κανύσιον περὶ μέσας νύκτας, ἀμφὶ τοὺς μυρίους· οἱ δ' ἐν τῷ βραχυτέρῳ, πεντακισχίλιοι, τῆς ἐπιούσης ἡμέρας ἐλήφθησαν ὑπὸ τοῦ Ἀννίβου.*

Apertum est haec et totum caelum distare a Polybio et proxime accedere ad Livium. Convenit enim inter eos et de tripartitis fugitivis et de binis castris occupatis et de nomine P. Sempronii Tuditani. Alia paullum immutata et omnino eiusmodi sunt, non ut transcripta e Livio, sed alia qua ratione cum eo cohaerere videantur. Quinque, non septem millia hominum minora castra occupata tenent, qui omnes ad unum postero die ab Hannibale capiuntur; P. Sempronius quem ad modum cum manu sua a minoribus castris in maiora pervenerit, tacetur; tamen eodem duce quo apud Livium qui in maioribus castris sunt per

---

[1]) b. Hann. 24. [2]) lc. 26.

hostes Canusium evadunt, iique ipsi omnes, non pars minor. Eodem modo Plutarchus de numero captivorum, cum consentire videatur cum Livio, dissentit aperte ab Appiano: si quidem ille non minus decem millia capta esse, hic quinque tradit millia.

Quorsus haec omnia commemoro? Ut demonstrem quae cuique rerum scriptorum in enarranda castrorum Romanorum obsessione cum Livio intercedat necessitudo. Primo enim loco principale quoddam discrimen interest inter Polybium et Livium Plutarchum Appianum; secundo loco specie magis, quam genere differunt Appianus et Livius Plutarchusque. Quae discrimina necessitudinesque unde extiterint, statim videbimus.

Nemo igitur est rerum scriptor, qui singulas res ita describat, ut plane in eas exemplum Cornificianum quadret, nisi Livius. Quod si ita est, sequitur, ut Cornificius, cum ipsius Livii ab urbe condita libri nondum extarent illo tempore, fontem eius usurpaverit talem, qui praesto esse ei posset. Atque auctores, quos secutum se esse ipse ait Livius, hi laudantur: Fabius Pictor, Cincius Alimentus, C. Acilii historiarum latinus interpres Claudius, Valerius Antias, Claudius Quadrigarius; fontes autem primarios fuisse Polybium et L. Coelium Antipatrum non iam inter homines doctos potest me iudice ambigi. Quorum nescio an ab illo diligentia in cognitione rerum indaganda, ab hoc et egregia singularum rerum notitia et genere scribendi aliqua parte ornatiore, quam priorum allectus sit atque delectatus. Quod cum e multitudine locorum et a Lachmanno[1]) et a Petero[2]) collectorum comparatorumque colligi possit, omnes fere narratiunculas eas, quae pugnam Cannensem subsecuntur, petiisse Livium e L. Coelio Antipatro, tum vero certissime hunc ipsum huius fabulae auctorem habuit. His enim verbis strategema quoddam Tuditani refert:[3])

[1]) de font. Liv. com. II p. 45.
[2]) hist. lat. rel. p. CCXXVIII. [3]) XXII, 50, 11.

„Haec ubi dicta dedit, stringit gladium cuneoque facto per medios vadit hostis, et, **cum in latus dextrum, quod patebat, Numidae iacularentur, translatis in dextrum scutis** *in maiora castra ad DC evaserunt“ e. q. s.*

Quibuscum verbis quid magis convenit, quam hoc fragmentum Coelii, quod Priscianus attulit:[1])

„Coelius in primo historiarum: dextimos in dextris scuta iubet habere“?

Tantus igitur est rerum vocabulorumque consensus ut vix quisquam dubitare possit, quin totam fabulam Livius a Coelio arcessiverit, praesertim non nominatim laudato. Semper enim hoc fuit compilatorum consuetudinis, ut quo quemque scriptorum magis transcriberent, eo rarius nominarent.

Iam vero unde et dissensio extiterit Polybii et Appiani ex parte, Plutarchi omnibus numeris cum Livio consensio, apparet.

Quorum primum Plutarchum demonstratum est a Nitzschio[2]) et Petero[3]) argumentis firmissimis, cum vitam Fabii Maximi describeret, minime exscripsisse Livium, sed fontem eius Coelium, quippe qui singillatim de hoc quoque principe civitatis exposuisse videatur. Non igitur mirum est et de binis a Romanis post pugnam occupatis castris et de numero captivorum ei cum Livio convenisse.


Deinde Buiackius[4]) et Meltzerus[5]) summa iudicii subtilitate videntur effecisse, Silenum, qui vitam Hannibalis descripsit,[6]) non modo a Dione et Cornelio Nepote, sed etiam ab Appiano in bello Hannibalico, in rebus Hispanicis Libycisque enarrandis esse usurpatum. Ac ne Peterus quidem etsi, num ipso Sileno usus sit fonte Appianus,

[1]) III, 22; p. 607 ed. Putschius.
[2]) Sybel's histor. Zeitschr. 1864 p. 20.
[3]) l. c. p. 56.
[4]) de Sileno scriptore Hannibalis p. 10.
[5]) de L. Coelio Antipatro p. 49. [6]) Buiackius l. c. p. 2.

vocat in dubium[1]), potest a se impetrare, ut fontem Appiani diffiteatur Sileno fuisse finitimum. Atqui Cicero[2]) certis verbis docet eundem Silenum secutum esse Coelium, omnesque viri docti, quotquot in hunc scriptorem diligentius inquisiverunt, in eadem perstiterunt sententia. Unde fit, ut et quare congruant Livius Appianusque et cur inter sese differant de singulis rebus, facile appareat: illud, quod fontium eorum narrationes ex uno atque eodem auctore, Sileno, petitae sunt; hoc quia cum per se necesse sit puram famam principalem, si per plures tamquam ambulaverit, paullatim turbari, tum vero constat et Coelium e Romanis annalium scriptoribus nonnulla adspersisse[3]) et Appianum cum summarium tantum historiae sibi proposuisset conscribere,[4]) fontibus partim neglegentius partim carptim partim ita ut contraheret usum esse.

Polybium denique perspicuum est prorsus diversos ab his habuisse auctores: quare de iis quaerere superfluum videtur.

Postremo, ut, quae in narranda hac fabula inter rerum scriptores intercedat necessitudo, facilius intellegatur, hoc schema adicio:



Demonstravi igitur veri simile esse Cornificium singulas res hoc exemplo significatas acceptas referre L. Coelio Antipatro: cuius libri septem, cum C. Gracchi fere temporibus evolgati videantur — nihil igitur pugnat temporis ratio —, dubito an ea potissimum causa Rhetoricorum scriptoris animum ad legendum allexerint, quod Coelius primus, Graecum hominem secutus, fictas oratiunculas bellas, ut videtur, historiae inseruerat.

[1]) hist. lat. rel. CCXXX. [2]) de div. I, 24, 49.

[3]) cf. Peterum l. c. p. CLIV et CLV.

[4]) cf. praefationem Appiani inde a. c. XII.

Ac de ceteris quidem exemplis, quae ad bellum Hannibalicum spectant, non tam certo, quam de eo quo de disputavimus, num Coelium secutus sit Cornificius, potest statui: tamen cum neque quicquam pugnet et aliqua certe Coelium resipiant, vix dubitandum reor, quin scriptor quicquid de eiusdem belli singulis rebus sciat, sumserit ex eodem rerum scriptore. Quod primum pertinet ad eam deliberationem, quae paullo post pugnam Cannensem de captivis redimendis in senatu habita est. De qua Cornificius (III, 2, 2):

„Item deliberationes partim ipsae propter se consultandae sunt, ut si deliberet senatus, captivos ab hostibus redimat an non; partim e. q. s."

Nam prorsus refutanda est Kayseri opinio annotantis ad M. Atilium Regulum exemplum esse referendum. Tunc enim de permutandis captivis, non de redimendis actum esse, omnium historicorum in unum congruunt sententiae.[1]) Immo de clarissima illa deliberatione cogitandum est, quae, cum auctore Hannibale captivi Romani post pugnam Cannensem legatos de redemptione Romam misissent, statu rei publicae maxime afflicto et impendente omnium ruina, cum aeterna gloria priscae Romanae virtutis patientiaeque habita est: si quidem senatus nulla tot civium totque principum occisorum, nulla octo millium servorum delectorum, nulla modici, quo redimi poterant captivi, pretii, nulla denique mulierum virorumque cum fletu curiam circumstantium ratione habita, propter ipsam causam, nempe ne instante periculo cives capi ab hostibus redimique, quam fortiter mori mallent, neque publice neque privatim redimendos captivos decrevit.[2]) Ceterum liquet in tam communi rei notitia, quocum auctore arctior intercedat Cornificio necessitudo non posse ostendi.

---

[1]) Liv. per. XVIII etc.

[2]) Liv. XXII, 58; App. b. Hann. 28; Polyb. VI, 58; Plut. Marc. 13; Zonar. IX, 2.

Contra tertium exemplum locum videtur, ubi consistamus, suppeditare: in quo haec verba facit Cornificius (III, 2, 2):

„*(Deliberationes partim sunt eiusmodi, ut quaeratur, utrum potius faciundum sit, partim eiusmodi, ut, quid potissumum faciundum sit, consideretur. utrum potius hoc modo: Karthago tollenda an relinquenda videatur;) quid potissimum hoc pacto: ut si Hannibal consulat, quom ex Italia Karthaginem accersitur, in Italia remaneat an domum redeat an in Aegyptum profectus occupet Alexandriam*“.

Quibus verbis primum indicatur, dubitasse Hannibalem initio obtemperare Karthaginiensibus, deinde tres ei vias patuisse aut oboediendi aut in Italia remanendi aut Aegyptum Alexandriamque occupandi. At vero Livius, [1]) cum sine dubio Polybium sequatur, memoria prodit Hannibalem frementem illum quidem frendentemque ex Italia discessisse, sed, cum hoc ipsum praesagiens animo praeparasset ante naves, neutiquam dubitasse senatus Karthaginiensis imperium exequi. Prorsus aliter rem enarrat Appianus, [2]) cum haec dicit:

„*Καρχηδονίων δ᾽αὐτὸν μετακαλούντων, κατὰ σπουδὴν ἐπικουρεῖν κινδυνευούσῃ τῇ πατρίδι ὑπὸ Σκιπίωνος, καὶ τὸν ναύαρχον Ἀσδρούβαν ἐπ᾽ αὐτὸν, ἵνα μὴ βραδύνειε, πεμψάντων ἤχθετο μὲν, τῆς Καρχηδονίων ἐς τοὺς ἄρχοντας ἀπιστίας τε καὶ ἀχαριστίας ἐς πεῖραν ἐρχόμενος διὰ μακροῦ, καὶ τὴν αἰτίαν ἐδεδοίκει τοῦ τοσοῦδε πολέμου, πρῶτος ἐμβαλὼν ἐν Ἰβηρίᾳ. ἐγνώκει δ᾽ ὑπ᾽ ἀνάγκης ὅμως ἕπεσθαι, καὶ ναῦς εἰργάζετο πολλὰς, εὐξύλου τῆς Ἰταλίας οὔσης.*“

Aptissime haec omnia in exemplum Cornificii quadrant: cunctatur Hannibal, succenset perfidis ingratisque

---

[1]) XXX, 20. [2]) b. Hann. 58.

civium animis, timet adversariorum criminationes; tamen postremo posteaquam ipse classi praefectus Hasdrubal legatus ad eum de reditu venit, necessitate coactus morem gerit patriae; neque vero etiam tunc statim naves paratas instructasque in portu Crotoniensi conscendit, sed exaedificare aggreditur.

Quid? quod Plutarchus quoque similia accepisse videtur, cum haec dicat: [1]

„Ἀγησιλάῳ μέντοι οὐδὲν κρεῖσσον ἢ μεῖζόν ἐστι τῆς ἀναχωρήσεως ἐκείνης διαπεπραγμένον, οὐδὲ γέγονε παράδειγμα πειθαρχίας καὶ δικαιοσύνης ἕτερον κάλλιον. ὅπου γὰρ Ἀννίβας ἤδη κακῶς πράττων καὶ περιωθούμενος ἐκ τῆς Ἰταλίας μάλα μόγις ὑπήκουσε τοῖς ἐπὶ τὸν οἶκον καλοῦσιν e. q. s.“

Quae cum ita sint, sic habeo: quamquam deliberasse Hannibalem, domum rediret an in Italia remaneret an in Aegyptum profectus Alexandriam occuparet, certis verbis nusquam memoriae traditum sit, veri tamen simile esse, eum Appiani fontem auctoremque, qui Hannibalem, domum revocatum, inimicos suos metuisse narrasset eaque de causa reverti dubitasse, eundem de viis rationibusque, quibus id periculum effugeret, fecisse deliberantem atque etiam id agitantem, ut in regnum Ptolemaeorum tunc ipsum a regibus Syriae terra imminutum labefactatumque cum militibus suis veteranis pugnaeque peritissimis ab ora maritima impetum faceret et Alexandria potiretur, qua urbe et tuto sui ipsius suorumque receptaculo et domicilio praesidioque uteretur eorum, quotquot et in Asia et in Europa nomini Romano in dies plus increscenti inviderent iamiamque sibi coepissent metuere. Novum enim et grave bellum cum Romanis aut Philippum redintegraturum aut Antiochum excitaturum dux Poenorum Romanis inimicissimus nullo negotio animo praesagiebat. Neque minus potest colligi ab eodem Appiani auctore

[1]) Ages. 55, 4.

Hannibalem, a quo ex ingratis perfidisque popularium animis summum dolorem iramque percepisse traditus esset, id quoque consilii ineuntem esse inductum, ut in Italia, ubi sedecim annos victor transegisset, remaneret et in ea terra, quae testis rerum gestarum suarum fuisset, vel fortunam periclitari vel fortiter pugnans diem obire mallet quam ingratae patriae succurrere vincique ab iis, quos, toties profligasset. Accedit huc, quod haud scio an Silenus, quem usurpatum esse ab Appiano supra commemoravimus (p. 122), cum ex intimis fuisset Hannibalis, facile etiam subita eius et arcana quaedam consilia didicerit. Sed ut sit fictum a Cornificio Hannibalis de Alexandria occupanda consilium — quod a me plane non possum impetrare ut credam — tamen constat id ipsum fingi potuisse nisi ab eo, qui similem atque Appianus ante oculos habuerit auctorem, a nullo. Quem autem alium fuisse eum consentaneum est, nisi hunc, quem dico, Coelium?

Quoniam igitur vestigia fontis Cornificiani diligenter scrutati omnia eodem ferre intelleximus, effecisse nobis videmur, scriptorem, cum ex historicis posse se sumere exempla affirmaverit (IV, 517), tum ea certe, in quibus de bello Hannibalico agitur, e certo historiarum scriptore petiisse, L. Coelio Antipatro.

Num idem singulas res superiorum temporum non minus accurate compertas habuerit, non liquet; cum sine dubio apud omnes Romanos pervolgatum fuerit, *„non facile ex Italia materim Transalpinam depulsam esse“* (IV, 32, 43). Est enim considerandum illa vetustatis situ obruta omnino non idonea fuisse ad exempla, quippe quibus artis praecepta essent explananda. Neque magis, me quidem iudice singulari Graecarum rerum scientia fuisse scriptorem ex uno exemplo, quo *„sarissae, i. e. Macedones, non tam cito Graeciae potitae esse“* dicuntur (IV, 32, 43), suspicandum est, cum id facile ex orationibus Demosthenicis, in quibus imprimis versatus erat, potuerit discere.

Haec habui, quae de rerum scientia Cornificii dicerem. Demonstravi eum primum in exemplis e sua aetate petitis singula ita persequi, ut quoad possit ad fidem historiae describat; deinde res tempore inter bellum Hannibalicum et ipsius aetatem interiecto gestas petiisse ex orationibus, imprimis C. Gracchi et Catonis, et quaedam fortasse ex Originibus; denique in rebus belli Hannibalici afferendis certissime usurpasse L. Coelium Antipatrum.